Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

Πρακτικά της εν Αθήναις Αρχαιολ. Εταιρίας του έτους 1903 Athen 1906
Ausgrabungen beim Heratempel in Samos.

Böhlau (Cassel) Ausgrabungen in Samos

Ausgrabungen d. griech.-archäolog. Ges. am Heraion Berl. philol. Wochenschr. 1902 No 48 Gefunden 20 Säulenbasen in doppelter Reihe. Unter d. [illegible] eines älteren Baus aus Porosstein, wohl des [illegible]
Heraion: Wiegand, Beitrag zu d. [illegible] Abhandl. d. [illegible] Akad. 1911.




210.7 .4
P.15

Statuen im Heraion: Jahrb. f. Philol. 1887. S. 786 ff. 791.
Swoboda in d. Festschr. f. Benndorf, über die Formel d. [illegible] in Samos auf 322 (4024), χιλιαστύς, die γένος
Gewerbe auf Samos: Blümner, gewerbl. Thät. S. 46 ff.
[illegible]: O. Jahn, Ber. d. Sächs. Ges. 1854 S. 33.

Gardner, Samos and Samian coins 1882

Busolt, Rh. Mus. 38, 151 [illegible] Mat. 13 [illegible]
Störung d. Friedens in [illegible]
zu d. [illegible] [illegible]
[illegible]
Busolt, ibidem 39, 309. [illegible] (Diod. 15, III) [illegible]
2600-3000 T. [illegible]

Received May. 1923.

Heraion: Wiegand I Bericht ü. d. Ausgrabungen in Samos Abh. d. Berl. Akad. 1911
Eupalinos Wasserleitung; Athen. Mitt. IX S. 165ff
Diels, N. Jahrb. f. d. kl. Alt. 1914 S. 4ff

G. Leithäuser, d. Abfall Mitylene's v. Athen. Gratulationsschr. d. Gymn. zu Elberfeld. 1874.
Wiederherstellung v. Lemnos u. Lesbos im att. Bund.

Asylrecht von Samos Tac. ann. 4, 14 und d. [illegible] [illegible]. Usener, Rh. Mus. 29, 50.

Krieg zw. Samos u. Milet. Schol. Ar. Plut. 1002.
Ein Sprichwort auf Hendess, oracula graeca p. 5 (bei Hoffmann

~~[illegible] auf Samos~~
Benennung d. Samier von einer Insel u. einer libyschen Wüste. Herod. III, 26. E. Curtius, Sitzungsber. 1882 S. 953.

Nach Beloch zur Finanzgesch. Athens Rhein. Mus. 39, 36ff zahlte Samos zwar niemals Tribute, wohl aber indirekte Steuern, wie z. B. später auch von d. andern Bundesgenossen die εἰκοστή gezahlt wurde

Beloch, d. Kosten d. samischen Krieges Rh. Mus. 38, 309f; vgl. Philol. 47, 121.
Pflugk-Harttung, Perikles u. d. samische Krieg Zeitschrift f. Geschichte Stuttgart 1884 S. 400

[illegible] d. Polycrates Hor. [illegible] 14. Zeitschr. f. Gymn. 1879 S. 576

Panse, De Polycr.

Progr. Warendorf 1859

Zur Chronologie d. Polykrates Rh. Mus. 1871, 573

ebdem XXXI 25 [illegible] (40 Jahr) des Pythagoras Ol. 62 (532) in Apollodor Chronika

[illegible]

Herod. III, 54 Belagerung v. Samos d. d. Lakedaimonier

Helbig, im neuen Reich 1874. S. 723. 'Mittelpunkt' f. d. [illegible] in [illegible], aus dessen [illegible] hervorragen (Herod.) [illegible] [illegible] u. [illegible]. [illegible], [illegible] hervorragen

Julius, über d. [illegible] S. 42: das Heraion [illegible]

Weihgeschenke im Heraion (Kunstgeschichte Strabo p. 637; Rh. Mus. XXXI, 22)

[illegible] S. 56 [illegible] des [illegible] Pythagoras [illegible] 7 [illegible]

Gaben d. Kleisthenes im Heraion Cic. legg. II, 16. Curtius I[4] 651

Heradienst u. Kultus als polit. Mittelp. Curtius I[4], 425

Hera [illegible] Mutter[illegible]. E. Curtius, [illegible] 1875 S. 63

Heraion [illegible] 24. Samos [illegible] d. Hand d. [illegible] Mitte

[illegible] d. [illegible] C. I. Att. I. 38. f. 472 Cic. legg. Man. 33 Helg.

[illegible] Kirchhoff, d. [illegible] d. Ath. p. 22 Curtius II[4] 810

[illegible] Verhältniss zu Athen u. Samos um 460 d. Münzen mit ΣΑ und ΑΘΕΝ

[illegible] Curtius I[4] 256, 411.

[illegible] Curtius I[4], 418. 1864 p. 97 660

Samos u. Ephesos [illegible] in Amorgos Bursian II 513 [illegible] Curtius I[4] 659.

Bücher, d. Aufstände d. unfreien Arbeiter p. 105. Samos eine Zeit lang in d. Hand d. Aristonikos, d. Halbbruders Attalos III.

# RES SAMIORUM.

Michaelis, Arch. Zeit. XXXIV, 1876, S. [illegible] [illegible] Theodoros [illegible]

SCRIPSIT

THEODORUS PANOFKA

PHILOSOPHIAE DOCTOR ARTIUM LIBERALIUM MAGISTER.

H. Droysen, d. Stellung v. Samos im 1. attischen Bund.
Hermes 13, 566ff. [illegible] 439 [illegible]
[illegible]
[illegible] Bursian
Jahresb. VII 58.
vgl. auch dessen Jahresb. 1878 Heft. 12. S. 331.

BEROLINI MDCCCXXII.

IN LIBRARIA MAURERIANA.

[illegible] Rh. Mus. 35, 330ff. [illegible]
[illegible] Her. IX 106 [illegible]
[illegible]

Darstellungen der Hera

Preuner, Hestia Vesta S. 225ff f
deutet Hera als Vesta (Bu.).
Münzen von Perinthos A. Postolakka Taf V, n. 1001.

Brunn, Ber. d. bayr. Ak. 1871 S. 543
d. Herm. N. im Mus. des Louvre in
den fünfziger Olympiaden

W. H. Roscher, Stud. z. vergl. Mythol. II Juno u. Hera
(beide Mondgöttinnen) Leipzig 1875. 3 M.

Head, Numismatic Chronicle 1876 on the Electrum
coins. Wichtige histor. Untersuchungen, deren Mittelpunkt Samos.
Münzen mit ΣA u. AΘEN bez. d. enge Verhältnis bei
d. Unterstütz. d. leuadischen Curtius, gr. Gesch. II 481.

Uralte Münzen von Samos

gef. bei Messina zugl. mit ganz Typen d. Rhegion
Sallet. Corr. Gesch. 1 Juni 1875 Zeitschr. f. Num. III, 135
(s. meinem Reisenotizbuch)

Euböischer Münzfuß auf Samos: E. Curtius Hermes X, 223f
Head, metrolog. notes on the ancient Electrum coin struck between the
Lelantian wars and the accession of Darius (E. L. Jen. L. Z. 1876 n. 17) Electron-
münzen von 720 bis z. Fall v. Sardes. An d. ersten Prägung, speciell die
von Samos (2 uralte ganz Halbstatere aus Electron in Prione gef.)
schließt s. d. euböische nach d. Gründung von Europa u. Asien
(Numismat. Chronicle vol. XV 1875 p. 245ff

[illegible] (decumanus) [illegible] (cardo), [illegible] Hippodamos, Thurii, Piraeus, Rhodos, Alexandria

Beloch, Bull. [illegible] 1877 p. 9.

[illegible] Knidos, Tarent, Neapel [illegible]

VIRO CELEBERRIMO

# AUGUSTO BOECKHIO

OPTIMO PRAECEPTORI

HUNC LIBRUM TESSERAM PIETATIS

D. D. D.

C. I. Gr. 2058 B

Thuk. VIII 51 Σάμος ἀτείχιστος οὖσα [illegible]

[illegible] att. Feldherrn 412 [illegible]

Feldherrn [illegible] Krieg [illegible]

[illegible] Philol. 1883 S. 610.

THEODORUS PANOFKA.

[illegible] Priene & Samos:

Inschriften v. Priene hrsg. v. Hiller v. Gaertringen, Berlin Reimer 1906

[illegible] 75. [illegible] Philol. Wochenschrift 1908 No. 26

302143212I

Kleruchen auf Samos
Krieg dess. Ol. 108,2 um d. Besitz d. Athener
Kirchhoffs Kleruchenurkunden Abh. d. Akad. 1867 S. 6

Samos im 8ten Jahrh. am lelant. Krieg mit Korinth u. Chalkis betheiligt; daher Ameinokles von Korinth nach Samos: E. Curtius Hermes X, 221.

Aesop, d. Erfinder d. Fabel, Sklave auf Samos. Anthol. Plan. IV 332.

Stele auf d. Markt in Samos zu ... Lacle Her. II, 14
Kassenverwaltung aus röm. Zeit C. I. Gr. 2257.
Olympia Paus. VI 2 Σάμιοι τὰ ἐς ἀθλητὰς καὶ ἐπὶ ναυμαχίαις Ἰώνων ἄριστοι
Duris, d. Tyrann v. Samos war, hat sich diese Stellung erworben oder erhalten durch Anschluss an Lysimachos, geg. den sich ... in Kl. As. die Σελευκιζοντες erhoben (Polyän VIII 59). Duris führte s. Tyrannis bis z. Falle des Lysimachos 281 (Justin XVII 1,9 schreibt a Duris). Die Geschichten d. samischen Literatur beruht auf d. Gelehrten d. Publikum s. Droysen Hermes XI, 464. (Δοῦρις [illegible]
Haacke u. Roesiger machen Duris mit Unrecht zur Hauptquelle von Diod. Her...
Diadochengeschichte. Über den lamischen Krieg u. die samische Frage XI, 18...

Paullus in Samos Act 20,15

Etsi recentioribus temporibus ab ingeniosis quibusdam viris ii vituperati sunt, qui, ubi primum in aliqua disciplina elaborarunt, libellis suis nomina in ea principum praeponere soleant, ea tamen res me non deterruit, quominus scriptionis meae frontem illustri nomine Tuo ornarem. Nam ut illi speciosius quam verius moneant, hos tanquam clientes potentiorum patrocinium videri captare, simul tamen quo ipsi vacui sunt pietatis sensu alios perfundi posse negant: quo fit, ut qui humanitatis studiis excellere putentur, mirum quantum a vera humanitate remoti appareant. Atqui ipsorum dicta non conveniunt cum factis, quum quae nobis obiiciant ipsos fecisse doceant primi eorum libri, ut quam iustam dicunt reprehensionem suam, ita tantum tueantur, aliam sibi tunc fuisse causam aliamque rerum condicionem. Ea vero nec me carere insigni Tuae debeo humanitati, qua, ex quo tempore Berolinum accessi, non modo philologica disciplina animum imbuisti, verum etiam domesticae consuetudinis aditu recluso, studiorum privatorum rectorem te praebuisti benevolentissimum. Inde etiam et natum est huius libri conscribendi consilium, et vires suppeditatae, quibus ad finem perduceretur. Nam pro singulari Tua benignitate auctor mihi iam in congerenda materie extitisti, neque in elaborando quod collectum erat, Te mihi defuisse multae

[illegible], vgl. W. [illegible], [illegible] Hieronymus von Cardia Progr. d. Sophiengymn. in Berlin 1874 (Philol Anz VII, 582)

huius libri paginae vel non citato nomine Tuo docent. Sed quum praeviderem fore, ut quaedam in libello meo non omni ex parte Tibi probentur, e re mea visum est, pauca, quibus has res excusarem, hic addere. Exiguus Te offendat libri ambitus, qui ne amplius excresceret duabus de causis cavendum erat. Primo quia huiusmodi scriptiones intra modestos fines coerceri debent, si suam utilitatem allaturae sunt; dein quod vel optima id genus haud raro a bibliopolis repudiantur. Ex hac brevitatis necessitate fluxit saepius orationis, ceteroquin non ornatae, obscuritas, quam a Te humanissime excusatam velim. Praeterea ne criticis et grammaticis disquisitionibus filum narrationis abrumperetur, has omnes e textu exulare volui, satius habens, locos qui ad eas faciebant, sub textu nude notasse, quod vel propterea dico, ne in crimen locorum inepte laudatorum incurrere videar. Nunc ego nihil magis in votis habeo, quam ut benevolentiam hucusque mihi a Te exhibitam etiam in posterum servare velis; libello autem ut tam aequi iudices contingant, qualem Te fore habeo persuasissimum, vehementer opto.

Scrib. Berolini d. XII. a. Cal. Septembr. MDCCCXXII.

# SUMMARIUM.

Pag.

Prooemium. . . . . . . . . 9

Caput Primum. Periodus prima ab insulae initiis usque ad tyrannidis initia Ol. LIII, 3.

§. 1. Fontes historiae deperditi. . . . . 1
§. 2. Insulae descriptio. . . . . . . 2
§. 3. Circuitus et proventus. . . . . 6
§. 4. Insulae nomina. . . . . . . 7
§. 5. Fabularum incunabula. . . . . . 10
§. 6. Ancaeus. . . . . . . . . . 11
§. 7. Aeoles et Iones Sami coloni. . . . 12

Caput Secundum.

§. 1. Mercatura. Itinera maritima. Opificia. . . 14
§. 2. Nummi. . . . . . . . . 18
§. 3. Coloniae. . . . . . . . . 20
§. 4. Amphicrates. Syloson. Demoteles. . . 26
§. 5. Bellum Megarense. . . . . . . 27
§. 6. Bellum Prienense. . . . . . . 28

Caput Tertium. Periodus secunda ab Ol. LIII, 3 — Ol. LXXV, 2. tyrannidis initium sub Polycrate, finis sub Theomestore.

§. 1. Polycrates. . . . . . . . 29
§. 2. Maeandrius. . . . . . . . 43
§. 3. Syloson. . . . . . . . . 45
§. 4. Aeaces. . . . . . . . . 46
§. 5. Theomestor. . . . . . . . 49
§. 6. De Samiorum arte. . . . . . 60

Pag.

Caput Quartum. Periodus tertia ab Ol. LXXV, 2—Ol. LXXXV, 1. a tyrannidis fine ad Periclis expugnationem insulae.

§. 1. Res sacrae. Iuno. . . . . . . 57
§. 2. Apollo. Diana . . . . . . . 63
§. 3. Dionysus. Neptunus. Mercurius. . . . 64
§. 4. Iupiter. Venus. Amor. Athene. Demeter. . 65
§. 5. Bellorum Persicorum exitus. . . . . 66
§. 6. Bellum Milesium. . . . . . . . 67

Caput Quintum. Periodus quarta ab Ol. LXXXV, 1—Ol. CVII, 1. ab Atheniensium sub Pericle insulae expugnatione ad Cleruchos Athenienses Samum missos.

§. 1. Bellum Peloponnesiacum. . . . . . 70
§. 2. Samos variorum imperio subiecta. . . . 75
§. 3. Athenienses eius sibi conciliant societatem. . 75
§. 4. Samiorum mores. . . . . . . . 77
§. 5. Res publicae. . . . . . . . . 81

Caput Sextum. Periodus quinta extrema tempora inde ab Ol. CVII, 1 complexa.

§. 1. Samiorum lingua. . . . . . . 85
§. 2. Litterae. . . . . . . . . . 87
§. 3. Cleruchi Athenienses Samum missi. . . . 97
§. 4. Tempora Macedonica. . . . . . . 97
§. 5. Aetolorum, Pergamenorum, Romanorum tempora. 100
§. 6. Extrema tempora. . . . . . . . 106

Index Scriptorum. . . . . . . . . 110
Index Rerum. . . . . . . . . . 114

# PROOEMIUM.

Graecorum quos uno quidem omnes liberali humanitatis sensu incensos, variis tamen studiis ad hunc finem delatos esse voluit natura, ad historiam qualis nunc est animum si conferimus, multa tum in temporibus accuratius definiendis, tum in rebus penitius perspiciendis desiderantur: neque his minus adhuc cognitis terris clariorem affulsuram lucem sperandum est, nisi quae in universum Graecorum campum cum fructu collata sunt studia, eadem iam acriora singulis rebus publicis impendantur. Qui autem stadiorum circuitu civitatum vim et magnitudinem metiendam duxerit, omnino fallitur, quum ut levissimis ex causis maximas rerum mutationes oriri constat, ita minimis etiam in civitatibus praestantissimae et hominum et temporum haud raro conspiciantur imagines. Memoria repetendi sunt insulani, quos Boeotis et Arcadibus omni parte omnique vitae genere antecelluisse ne tenuiter quidem hisce in rebus instructum latebit. Inter insulanos autem haud infimum locum obtinuerunt Samii, quos *πρώτους τῶν Ἰώνων* *) mercatura, re maritima, fortitudine, omni denique liberali arte floruisse, nostrum erit demonstrare.

*) Herod. II, 178. V, 112. Diod. S. XI, 36. Polyaen. I, 38. Ion. ap. Plut. Pericl. XXVIII. Plut. de glor. Athen. VIII. Thucyd. VIII, 76. Eckhel doctr. numm. II, p. 569 et 570.

Quorum in historia quam temporum dimetiendorum rationem iniverim, eius rei huius loci esse videtur paucis argumenta afferre, ne cui videar nimis arbitrarie in hac re versatus fuisse. Quinque enim rerum Samicarum constitui periodos, quae temporum divisio veritati maxime consentanea videbatur. Periodo prima ab insulae initiis ad tyrannidis initia deducta reprehensionem, mythica cum certioribus insulae incrementis parum caute a nobis in unam congeriem esse coacta, eo effugisse putavimus, quod regum a primis fabulosis initiis ad periodi finem census in hac quaestione maius habere sibi videbatur momentum, utpote quum fabulosa illa vix integram efficere potuerint periodum. De altera quae tyrannidis tempora complectitur, simulque artium florem, consentient omnes: tertiam Periclis insulae expugnatione finitam esse volui, non tam quod magnam cladem hac re Samii perpessi sunt, nam simile quid iam antea ab Otane Persarum duce experti erant *), quam quod vera libertate et *αὐτονομίᾳ* per haec tantummodo tempora frui Samiis licebat. Cleruchiâ Athenis Samum missa quartam finivi periodum, quippe quae ultima libertatis tempora tum universae Graeciae tum Samiorum complectatur, omnibus Macedonum imperio servire coactis. Quae subsequitur quinta, ea continet tempora, quibus consenuisse quidem Samum nec tamen diem supremum obiisse apparet.

---

*) Herod. III, 148 sqq. Strab. XIV, p. 438. Heracl. P. πολιτ. X. Eustath. ad Dionys. v. 534.

# Caput Primum.

### §. 1. Fontes historiae deperditi.

Samica contexuerunt veterum permulti. Legebantur Simonidis iambographi *Ἀρχαιολογία τῶν Σαμίων* [1]), Duridis *Σαμίων Ὧροι* Samiorum annales [2]), quos qui eosdem dixerit atque antiquos illos a Lactantio [3]) laudatos Samiorum Annales, Eratostheni bene cognitos, videat quo modo cum voc. *antiquos* conveniat et quid mirum infuerit si Eratosthenes Duridis aequalis huius legerit libros. Duridis Annalium secundum librum citat Diogenes Laertius (l. I, s. 119.), Porphyrius in vita Pytagorae, Euripidis Scholiasta ad Hecubam vs. 934. Eo pertinebant *περὶ τῆς Σαμίων τρυφῆς*, de Samiorum luxu [4]). Erant et Alexidis Samii *Σαμίων Ὧροι*, qui tribus certe libris continebantur, quum alterius [5]) et tertii [6]) ab Athenaeo fiat mentio. Exstabant praeterea Aethlii nomine *Σαμίων Ὧροι*, quorum e quinto libro nonnulla deprompsit Athenaeus [7]). Potamonis rhetoris *Σαμίων Ὧροι* Suidae [8]) laudantur. Adiiciam Olympichi *Σαμιακά* [9]) et Menodoti Samii *τῶν κατὰ Σάμον ἐνδόξων ἀναγραφήν* [10]), in quo accuratius *περὶ τῶν κατὰ τὸ ἱερὸν τῆς Σαμίας Ἥρας* [11]) agebatur: Cratetis denique comici fabulam *Σάμιοι* vocatam [12]).

---

1) Suid. v. *Σιμμίας*. 2) Athen. XV, p. 696. E. cf. Schweigh. Animadv. ad Athen. IV, p. 175. E. 3) p. 25. 4) Athen. XII, p. 525. E. p. 532. F. XIII, p. 560. F. 5) l. XII, p. 540. D. 6) l. XIII, p. 572. F. cf. Antigon. Caryst. c. 132. ed. Beckm. 7) l. XIV, p. 560. D. p. 653. F. cf. Etym. M. v. *Νένωται*. Clem. Alex. Protr. p. 22. 8) v. *Ποτάμων*. 9) Clem. Alex. Protr. p. 23. 10) Athen. XV, p. 672. A. p. 673. D. 11) Athen. XIV, p. 655. A. 12) Athen. III, p. 117. B. Pollux. VII, 14. Suid. v. *Κράτης* et Paroemiograph. *ἵππ. γηρ. τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβ.*

### §. 2. Insulae descriptio.

Samos insula (Susam Adasi) long. 44° 47′, latitut. 37° 46′ in Icario mari sita Orientem versus exiguo intervallo a continente disiungitur, cuius orientale promontorium Posidium et oppositam in Asia Mycalen septem tantummodo stadiorum fretum interfluat [1]. Meridiem versus maxime Prienensium in fines haud iniuria dixeris spectare insulam. Heraeo solstitiali promontorio (C. Colonna) Narthecin insulam et Trogylium promontorium quadraginta stadia remotum obiecta videbis [2]. Prospicienti autem de occidentali insulae promontorio, quod Ampelus (C. Fournos) vocabatur [3] neque longe distabat ab altero Canthario (Kerki) [4], ostenditur Icaria insula [5], quam triginta quinque M. P. abesse a Samo testatur Plinius [6]. Septentrionali denique insulae parti opposita sunt Panionium, Neapolis et Ephesus [7]. Con octingenta, Chium septingenta et quinquaginta stadia a Samo dirimunt [8]. Adiacent insulae Ripara, Nymphaea, Achillea [9]. Plura exstitisse in insula oppida fingit Meletius [10], Hypnum, Gigartum, Amphilyssum, Gorgiam, Assorum, Leucotheam, Astypalaeam, quorum praeter rudera haud exigua [11] nihil ad nos perlatum est mentionis, nisi quod *Ipnus* castellum fuit in Samo, Iunonis Ἰπνουντίδος sive Ἰπνουσίας templo celebratum [12]; *Gigartho* et *Leucothea*

---

1) Herod. I, 148. Thucyd. VIII, 79. Strab. XIV, p. 438. Arrian. de exped. Alex. V, v, 2. Scyl. Peripl. Ptolem. V, 11. Steph. Byz. v. Μυκαλησσός. Melet. geogr. p. 488. 2) Strab. l. c. Steph. Byz. v. Ναρθηκίς. Pococke descript. Orient. Tom. III, p. 36. Tournefort Itin. in Orient. Tom. I, p. 404. 3) Strab. X, p. 336. Agathem. I, iv. Hesych. v. Ἄμπελος. Steph. Byz. v. Ἄμπ. 4) Strab. XIV, p. 438. Melet. l. c. Ptolem. V, 11. 5) Strab. XIV, p. 439. Melet. l. c. 6) L. IV, s. 23. 7) Strab. XIV, p. 440. Melet. p. 488. Tournef. l. c. 8) Agathem. de geogr. p. 12. Plin. H. N. II, s. 112. V, s. 37. 9) Plin. V, s. 37. 10) l. c. 11) Tournef. et Pococke l. c. 12) Steph. Byz. v. Ἰπνοῦς.

fontibus adnumerantur Plinio [1]), *Gorgia* autem, rectius Gorgyra vocanda [2]), ob Dionysii *Γοργυρέως* aedes teste Duride inclaruit [3]), *Assoro* ex monte *Amphilyssus* fluvius decurrebat [4]); Astypalaea denique antiquissimum insulae oppidum, postea arx a Polycrate munita apparet [5]). Multi adfuerint praeterea in Samiorum insula *τόποι*, quorum ipsum nomen periit; unum tamen et alterum liceat hoc loco afferre. *Panaema*, nomine a sanguine (*αἷμα*) Amazonum deducto, quas cum Dionyso ibi congressas et victas periisse tradit Plutarchus [6]). *Deicterium* oppidum inde nomen traxisse fertur, quod Pallas in certamen pulchritudinis a Medusa provocata illi immiserit Perseum, cui hoc ipso loco Gorgonem in tabula depictam *ostenderit* [7]).

Per totam insulam *Ἄμπελος* mons porrigebatur, promontorio occidentali suum tribuens nomen [8]). Superabat eum altitudine *Κερκετεύς* [9]) apud Nicandrum *nivosus* [10]). Assorum denique Ampeli pars fuisse mihi videtur [11]). Irrigabant insulam quattuor fluvii, *Amphilyssus* [12]), *Ibettes* [13]), *Chesius*, qui Samum urbem bipartitus esse traditur [14]), et omnium notissimus *Imbrasus*. Hunc Samum urbem alluere docet Athenaeus [15]), a septentrione meridiem versus in mare effundi Strabo [16]), eundemque Parthenium audivisse magna

1) L. V, s. 37. Suid. v. *Γίγαρτα*. 2) Etym. M. v. *Γόργυρος*. Herod. III, 120. Suid. v. *Γοργύρη*. Eustath. ad Hom. p. 1688. Steph. Byz. v. *Γοργυία*. 3) Etym. M. l. c. Steph. Byz. l. c. 4) Steph. Byz. v. *Ἄσσωρον*. 5) Etym. M. v. *Ἀστυπαλ*. Steph. Byz. v. *Ἀστυπ*. Polyaen. strat. I, xxiii. 6) Qu. Gr. LVI. Pausan. vii, 11. 7) Etym. M. v. *Δεικτήριον* et Tzetz. ad Lycophr. v. 848. 8) Strab. X, p. 336. Plin. V, s. 37. Hesych. v. *Ἄμπελος*. 9) Strab. l. c. Plin. l. c. 10) Alexiph. p. 139. 11) Steph. Byz. v. *Ἄσσωρον*. 12) Steph. Byz. l. c. 13) Plin. V, s. 37. 14) Plin. l. c. Etym. M. v. *Ἀστυπ*. Callim. hymn. in Dian. v. 228. Schol. ad h. l. Nicand. Alexiph. p. 139. eiusque enarratorem p. 57. Steph. Byz. v. *Χήσιον*. 15) L. VIII, p. 283. D. 16) L. XIV, p. 483.

scriptorum tradit copia [1]). Recte igitur Anacreon [2]) Samum *ἄστυ Νυμφέων* vocat, cui calculum adiiciunt Homerus [3]), Nicander [4]), Callimachus [5]), Pliniusque ipse, Nymphaeam insulam Samo adiacentem dicens, ipsam vero urbem a mari haud longe remotam sic vocari nescius [6]). Haud semper tamen ita *εὔυδρον* fuisse dixerim, quum aquaeductum Samiis fecerit Eupalinus architectus Megarensis, ut fossa per montem unum et dimidiatum stadium prominentem perrupta septem stadia percurreret octo pedes lata totidemque alta, cui immissa erat altera triginta pedum altitudinis, trium pedum latitudinis, aquam a magno fonte (*ἀπὸ μεγάλης πηγῆς*), qui fuerit Gigartho sive Leucothea, per canales vectam in urbem deducens. Fuit hoc in tribus admiratione dignissimis Samiorum operibus teste Herodoto [7]). Alterum dicit [8]) vallum in mare exstructum, quo portus Sami (p. Tigani) tegeretur, centum et viginti pedes altum et plus duo stadia in longitudinem extensum; tertium denique illustrissimum Iunonis fanum. Portus amplitudinem, opportunitatem et firmitatem etiamsi scriptores [9]) minus prodidissent, eo evinceres, quod copiarum navalium haud parvam vim aliis aliam temporibus stationem ibi habuisse et hibernasse patet. Moenia albo marmore splendentia in Ampeli dorso quindecim pedes eminebant, decem pedes latitudine complexa: post decimum sextum quemque pedem turris conspiciebatur, nisi qua natura saxum praeceps in eius locum substituerat [10]). Hinc in *προαστήϊον* intrantem Iovis Liberatoris sacrum templumque exci-

---

1) Strab. X, p. 314. Callim. fragm. ed. Bentl. Apollon. Rh. Argon. I, 187. cum Schol. et II, 867. c. Schol. Hygin. Fab. p. 6. Callim. hymn. in Dian. v. 228. et Schol. Nicand. Alexiph. p. 139. Eustath. ad Dionys. P. v. 534. 2) Fragm. *μη'* ed. Fisch. cf. Hesych. et Phavorin. 3) Hymn. Apoll. v. 41. 4) Alexiph. p. 139. 5) Hymn. in Del. v. 45. 6) L. V, s. 37. 7) L. III, 60. Eustath. ad Dionys. P. v. 534. Pococke p. 38. Tournef. p. 419. Hirt. archit. T. I, p. 231. 8) Herod. l. c. Hirt. l. c. 9) Herod III, 60. Strab. XIV, p. 438. Scylac. Peripl. 10) Tournef. p. 416. Herod. III, 54. Pococke p. 38.

piebat a Maeandrio Polycratis tyranni successore conditum [1]). *Προαστήϊον* si a parte percurras maritima, admirationem haud denegabis illustrissimo Iunonis templo, quod Heraeo promontorio [2]) maiorem affert splendorem quam Neptuni templum Posidio promontorio. In via autem quae ad Iunonis templum ducebat Rhadines et Leontichi sepulchrum exstabat, ad quod Iones vota nuncupare solebant quoties acri se amore affectos sensissent [3]). Haud procul ab Heraeo in ea regione quae *ἐν καλάμοις* vocabatur [4]), Veneris templum meretrices Periclem in oppugnanda Samo secutae aedificandum curaverunt [5]).

Iam ad ipsam accedamus urbem, domorum splendore haud dixerim an artificiorum praestantia magis insignem. *Ἀστυπαλαία* enim arx Polycratis tenebat regiam [6]). In inferiore urbis parte iacebat *Λαύρα* [7]) angiportus Polycratea, quam formosissimas mulieres habitasse constat: *Ἀγορά* in qua altior columna erecta Samiorum de patria a iugo Persarum liberanda optime meritorum indicabat et nomina et virtutem [8]). In exitu fori eminebat *Βουλευτήριον* [9]), a quo haud multum afuerit *Ἀνδρών* [10]) domus satis magna, *πηδήτης* vocata ob Megarensium catenas ibi depositas [11]). His quae hucusque commemoravimus aedificiis addenda sunt deorum templa, ut Apollinis [12]), Dianae [13]), Bacchi [14]), Veneris [15]), Mercurii [16]), Minervae [17]),

---

1) Herod. III, 142. 2) Strab. XIV, p. 438. Pausan. VII, IV. Polyaen. strat. I, XXIII. VI, XLV. Athen. XV, p. 672. A. Appulei. Florid. II, 15. Tournef. p. 421. Pococke p. 40. 3) Pausan. VII, V. 4) Herod. IX, 96. 5) Athen. XIII, p. 572. F. 6) Herod. III, 144. Etym. M. v. *Ἀστυπ.* Polyaen. strat. I, XXIII. Sueton. Calig. XXI. 7) Athen. XII, p. 540. D. Erasm. Adag. *Σαμ. Λαυρ.* et *Σαμ. ἄνθη.* 8) Herod. IV, 14. 9) Plut. Qu. Gr. LVII. 10) Suid. v. *Ἀνδρῶνα.* cf. Aristoph. Eccles. v. 744. 11) Plut. l. c. 12) Pausan. II, XXXI. Diodor. Sic. I, 98. Homer. hymn. in Apoll. v. 41. 13) Herod. III, 48. Callim. hymn. in Dian. v. 228. Steph. Byz. v. *Ταυροπ.* Hesych. v. *Κυπροφ.* 14) Plin. H. N. VIII, s. 21. Aelian. var. hist. VII, 11. Hesych. v. *Ἐλυγ.* et *Ἐνορχ.* 15) Plut. Qu. Gr. LIV. 16) Plut. Qu. Gr. LV. Tournef. p. 429. 17) Suid. et Hesych. v. *Ἐργάνη.*

Cereris [1]), Amoris denique gymnasium [2]). Theatri albo marmore exstructi et amphitheatri ad mare prospicientis [3]) hodieque spectantur rudera satis multa [4]).

§. 3. Circuitus et proventus.

Circuitum insulae Plinius [5]) octoginta septem M. P., Isidorus a vero nimis discedens centum M. P. statuit. Strabo contra [6]) *περίπλουν τῆς Σαμίων νήσου σταδίων ἑξακοσίων* esse tradit, quocum Agathemerus [7]) convenit sexcentorum triginta stadiorum ambitum insulae constituens. Hanc autem computationem ad veritatem propius accedere quam illas, recentiorum asseverant descriptiones [8]). Scylacis vero [9]) qui insularum magnitudine decimam posuit Samum et longitudinem stadiorum CC indicavit, nullam h. l. mentionem factam neminem spero offendet.

Caeli clementia, aëris salubritate, agri ubertate gaudebant incolae Sami [10]). Proventu igitur frugum et fructuum satis prosperam nacti erant condicionem, unde et insulam *μακάρων νῆσον* vocatam esse narrant [11]). Neque male propterea se habet Menandri de Samo proverbium *φέρει καὶ ὀρνίθων γάλα* [12]), adversante Appuleio, qui agrum frumento pigrum et aratro irritum [13]) describit, foecundiorem oliveto [14]); quare Aeschylo [15]) Samus *ἐλαιόφυτος* dicitur. Bis anno ficos, uvas omomelidas, mala, rosas nasci Aethlius quinto libro *Σαμίων Ὥρων* refert [16]). Quae etiamsi veri fidem superare dixeris, hisce tamen frugibus et

---

1) Hesych. v. *Ἐνέλυσκις.* 2) Athen. XIII, p. 562. A. 3) Plutarch. Anton. LVI. 4) Tournef. p. 417. Pococke p. 38. 5) L. V, s. 37. Melet. geogr. p. 488. 6) L. XIV, p. 438. cf. Casaub. ad h. l. 7) L. I, p. 17. 8) Pococke Tom. III de ins. Sam. qui 75 M. P. circulum assignat et Tournef. Tom. I, p. 404. Georgiren. Collect. itin. Or. ed. Paul. T. V, p. 272. xxı nostrorum milliarium magnitudinem. 9) Peripl. p. 56. 10) Herod. I, 142. Diod. Sic. V, 81. 11) Diod. Sic. l. c. 12) Strab. XIV, p. 438. Eustath. ad Dionys. v. 534. 13) Florid. II, p. 15. 14) Florid. l. c. Athen. II, p. 66. F. IV, p. 169. E. 15) Pers. v. 883. 16) Athen. XIV, p. 635. F.

floribus abundasse insulam docent auctores satis probi, ut Plinius [1]), Samia dicens et Aegyptia punica mala distingui erythrocomis et leucocomis, Pollux [2]) laudatis Samiorum uvis, Athenaeus [3]) Samiorum de famosis floribus disputans. Vino tamen haud inclaruisse insulam Strabo [4]) et Eustathius [5]) uno ore testantur, quod eo magis miraberis, quo minus te lateat quantopere nostri Samium vinum in deliciis habeant, hodieque a mercatoribus Graeci vini nomine importari summamque fere redituum apud Samios efficere [6]). Neque tamen plane vino caruisse Samum antiquis temporibus, praeter Aethlium et Pollucem quos modo citavi, evincit Ἄμπελος mons vinetis sane consitus, ita ut nisi veteres hoc praestantioris vini genus minus parasse cogitaveris [7]), a caeli aut agri mutatione hanc rem pendere putes. Amerinae salicis in Samo frequentioris auctor exstat Athenaeus [8]). Lauri Samiae *κλῶνα μελαμπέταλον* laudat Meleagri *στέφανος* v. 14 et 15 [9]).

Enumerationi earum rerum quibus natura insulam ornavit adiungam pavones Iunoni Samiorum deae tutelari sanctos, quorum tantam adfuisse Sami copiam docet Menodotus [10]), ut in alias quoque regiones translati sint. Esse ibi natos testatur Antiphanes:

> ἡ δ' ἐν Σάμῳ
> Ἥρα τὸ χρυσοῦν, φασὶν, ὀρνίθων γένος
> τοὺς καλλιμόρφους καὶ περιβλέπτους ταώς (ἔχει) [11]).

### §. 4. Insulae nomina.

Samum insulam non idem semper obtinuisse nomen, sed aliis aliud temporibus recepisse mul-

---

1) L. XIII, 43. 2) Onomast. VI, 11. 3) L. XII, p. 540. D. XIV, p. 653. F. Suid. et Hesych. v. *Σαμ. ἄνθη*. 4) L XIV, p. 438. 5) Ad Dionys. v. 534. 6) Pococke Tom. III de ins. Sam. 7) Tournef. Tom. I, p. 412. 8) L. XV, p. 673 C. 9) Iacobs Anthol. Gr. Tom. I, p. 70. 10) Athen. XIV, p. 655. A. 11) Athen. l. c. A. Gell. N. Att. VII, 16. Varro de re rust. III, 3. Pausan. II, 17.

torum eorumque gravium confirmant scriptorum testimonia, quae quum pleraque non de uno tantum agant insulae nomine tota proponenda mihi videntur, ne de singulis deinceps nominibus disputans dicta dicam, sed ut facilius ad priora provocando recurrere possim. In omnibus quos recensebo auctorum locis eminet Plinianus l. V, s. 37 memoratu sane dignissimus: „*Partheniam* primum appellatam Aristoteles tradit: postea *Dryusam*, deinde *Anthemusam*. Aristocritus adiicit *Melamphyllum*, dein *Cyparissiam*: alii *Parthenoarusam*, *Stephanen*.“ Cui suffragantur Heracl. Pont. Samior. Polit. *ἡδὲ νῆσος Παρθενία, ὕστερον Δρύουσα.* Callimach. hymn. in Del. v. 45.

*ἢ νήσοιο διάβροχον ὕδατι μαστόν*
*Παρθενίης (οὔπω γὰρ ἔην Σάμος)*

Strab. X, p. 457. *οὐδ᾽ ἐκαλεῖτο τῷ αὐτῷ ὀνόματι πρότερον, ἀλλὰ Μελάμφυλλος, εἶτ᾽ Ἀνθεμὶς, εἶτε Παρθενία, ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τοῦ Παρθενίου, ὃς Ἴμβρασος μετωνομάσθη.* Nomini *Μελάμφυλλος* simillima est *Φυλλάς* (Iambl. de vit. Pyth. I, 11.) Particulae *εἴτε-εἴτε* ab Ezech. Spanhemio ad Callim. Hymn. in Del. v. 49. propositae ferri nequeunt, quae hanc vim habent ut indicent duabus vel pluribus condicionibus positis, eandem tamen rem inde consequi vel fieri. Restituendae omnino sunt temporis particulae *εἶτα-εἶτα*: de inversa autem nominum serie eo securiores esse possumus, quo magis Strabo cum ceteris scriptoribus convenit l. XIV, p. 637. C. *Ἐκαλεῖτο δὲ Παρθενίας πρότερον οἰκούντων Καρῶν εἶτα Ἀνθεμοῦς, εἶτα Μελάμφυλλος, εἶτα Σάμος.* Lactant. p. 74. „Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam quod ibi Iuno adoleverit ibique Iovi nupserit.“ Fabula de deae ortu ad Imbrasum sub vitice quae Pausaniae etiam aetate ostendebatur, ap. Pausan. VII, 4 et Appulei. asin. aur. l. VI, p. 459. legitur. Cf. Eustath. ad Hom. p. 987, 9 et Spanhem. ad Callim. Hymn. in Del. v. 49. Steph. Byz. p. 659. *Σάμος ἐπιφανὴς πρὸς τῇ Καρίᾳ νῆσος· ἐκλήθη δὲ πρότερον Παρθενία καὶ Δρύουσα καὶ Ἀνθέμουσα καὶ Μελάμφυλλος.*

Hisce scriptoribus adiungas Scholiastam in Apollon. Rhod. [1]), Eustathium ad Dionys. [2]), Hyginum [3]), Hesychium [4]), Nicandrum [5]). Quibus locis collatis nemo in dubitationem vocabit, nomen *Παρθενία* omnium primum Samo insulae inditum fuisse, cuius quidem de origine praeter Strabonem, Eustathium et Lactantium disputavit nemo. Lactantii explicatio nominis Partheniae mihi haud probatur, quia insula et insulani prius esse debebant quam Iuno ab illis coleretur. Accedimus propterea Strabonis et Eustathii indicio, qui a Parthenio flumine Partheniae nomen deducunt. Ceterorum trium nominum eadem fere ratio est; nempe Dryusa ob quercorum copiam [6]), Anthemusa ob florum abundantiam [7]), Melamphyllos [8]) ob *Σαμίου δάφνης κλῶνα μελαμπέταλον* [9]), vocata est. De ceteris appellationibus, quarum Plinius mentionem iniecit, vide Harduinum ad locum Plinianum.

Omnia haec nomina fabulosa sunt, neque pro certo haberi potest an unquam ullum ex his in usu fuerit. Imo ex quo tempore de rebus Samiorum per scriptores aliquid compertum habemus nomen insulae *Σάμος* invaluit, nullo relicto vestigio quando haec nomina alterum alteri cesserit; de quo nunc et quae senserint antiqui et quae nostra sit sententia exponamus. Duae autem hic offeruntur origines, altera mythica altera etymologica. Mythicae auctor Asius poeta [10]) Ancaei et Samiae filium Samum designat insulae conditorem, congruente Strabone [11]), *εἶτα Σάμος, εἴτ᾽ ἀπό τινος ἐπιχωρίου ἥρωος*, qua de re quid

---

1) Argon. II, v. 867. 2) v. 534. 3) Fab. p. 6. 4) v. *Δρύουσα* v. *Μελάμφυλλ.* v. *φύλλ.* 5) Alexiph. p. 139. 6) cf. Steph. Byz. v. *Μιλητ.* *Πιτύουσα ἀπὸ τῶν ἐκεῖ πιτύων*, et v. *Πτελέον ὅτι πολλὰς ἔχει πτελέας.* 7) Etym. M. *Ἀνθεμοῦς* et v. *ἄνθεια.* Athen. XII, p. 540 et Suid. 8) Iamblich. de vit. Pyth. I, 11. 9) Iakobs Anthol. Gr. Tom. I, p. 70. 10) Pausan. VII, IV. 11) L. XIV, p. 637.

sit iudicandum hodie nemo nescit. Quapropter hoc mytho misso, quem post conditam Samum effinxerunt poetae, quo augustiorem redderent insulae originem, etymologicam alteram persequamur.

Ab altitudine enim sic dictam esse insulam docent Strabo VIII, p. 503. *ἐπειδὴ Σάμους ἐκάλουν τὰ ὕψη* et Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 534. in Samothraciae nomine derivando, ubi et Homerum latuisse nomen Sami Ionicae monet Strabo. Sed quid? Nonne et Samos Ionica montuosa fuit? Provoco ad Ampelum, Cerceteum et Assorum de quibus supra dictum, et ad Strab. XIV, p. 438 qui Ampelum refert *ποιεῖν τὴν ὅλην νῆσον ὀρεινήν* [1]). Denique hoc etymologicam meam interpretationem sustinet, quod nomen *Σάμος*, si saltus significationem habet nequaquam ab illis quae huic antecesserant abhorret.

## §. 5. Fabularum incunabula.

Samum *τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐρήμην οὖσαν* tenuerunt ferarum satis multae quae tam alta voce utebantur ut terram clamor perfringere diceretur. Audiebant *νηΐδες* sive *νηΐα* [2]). Incolae autem primi qui fuerint docet Asius poeta [3]), *ὡς Φοίνικι ἐκ Περιμήδης τῆς Οἰνέως γένοιτο Ἀστυπαλαία καὶ Εὐρώπη. Ποσειδῶνος δὲ καὶ Ἀστυπαλαίας εἶναι παῖδα Ἀγκαῖον, βασιλεύειν δὲ αὐτὸν τῶν καλουμένων Λελέγων. Ἀγκαίῳ δὲ τὴν θυγατέρα τοῦ ποταμοῦ λαβόντι τοῦ Μαιάνδρου Σαμίαν γενέσθαι καὶ Περίλαον καὶ Ἔνουδον καὶ Σάμον καὶ Ἀλιθέρσην καὶ θυγατέρα ἐπ' αὐτῷ Παρθενόπην. Παρθενόπης δὲ τῆς Ἀγκαίου καὶ Ἀπόλλωνος Λυκομήδη γενέσθαι.* Huius fabulae originem in-

1) cf. Spanhem. ad Callim. hymn. in Del. v. 45 et Pococke Tom. III, p. 38. qui insulam montuosam, saxosam et dumetis tectam se reperisse enarrat. 2) Heracl. Pont. *Πολιτ.* X. Phot. Lex. v. *Νηΐς*. 3) Pausan. VII, IV.

vestiganti arridebit Neptuni mentio in insula condenda satis frequens, utpote quum mercatura et re nautica floreat, *Ποσιδίῳ* Samiorum promontorio cum templo *Ποσειδῶνος Ἐπακταίου* optime illustrata. Neptuni satu ex Astypalaea nascitur Ancaeus filius [1]): Astypalaeam vero ab antiquissimo oppido Astypalaea [2]) profectam qui neget nullus erit. Iam igitur ad Ancaeum progrediamur antiquissimum Samiorum nomen.

### §. 6. Ancaeus.

Caribus et Lelegibus imperasse Asii carmine perhibetur. Cephalleniam Samum patriam ipsi constituit Iamblichus [3]), ex Apollinis autem oraculo,

*Ἀγκαῖε, εἰναλίαν νῆσον Σάμον ἀντὶ Σάμης σε*
*Οἰκίζειν κέλομαι. Φυλλὰς δ' ὀνομάζεται αὐτή,*

cum Cephallenibus, Thessalis aliisque colonis deductis Samum mittit conditorem. Eundem testantur Strabo [4]) de Samo, quam Leleges incolebant [5]), imperium gessisse, Callimachus [6]) et Apollonius Rhodius [7]), qui epitheto *ὑπέρβιος* eum ornat. Hic igitur antiquissimus Sami rex, teste Aristotele [8]) quum summam agriculturae impenderet operam neque in vinetis exiguam poneret curam, servos satis acriter ad labores impulit. Unus ex his iratus severiori domino ne frugibus illi liceret frui se facturum professus est. Maturas fruges ubi Ancaeus colligere et vinum miscere servis imperavit, exsecuti sunt quae ille volebat

1) Hygin. fab. p. 6. Ancaeum Neptuni et Altae Cathesti filiae f. dicit. Conferatur Apollod. bibl. II, VII. qui Astypalaeae et Neptuni filium Eurypylum regem insulae Co prodit, ita ut fratres insulas haud procul distantes primi tenuisse dicantur. 2) Polyaen. strat. I, XXIII, 2. Etym. M. *Ἀστυπ.* Est videre v. *ἄστυ* gen. fem. fuisse, antequam in neutrum abiret 3) de vit. Pythag. I, 11. 4) L. XIV, p. 439. 5) Strab. XIV, p. 438. Athen. XV, p. 672. C. Aelian. var. hist. VIII, v. 5) Hymn. in Del. v. 45. et Schol. 6) Argon. I, v. 187. 7) Schol. ad Apollon. Rhod. Argon. I, v. 187. Tzetz. ad Lycophr. v. 486.

poculumque ei obtulerunt vino plenum. Quod cum ori admoturus esset, subiit eum recordatio dicti illius servi: servus ut haec videt, *πολλὰ*, inquit, *μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου* [1]). Inter haec nuncius accurrit, immanem aprum circumvagari in vinetis; misso igitur poculo Ancaeus aprum aggreditur, ab eoque percussus occubuit. Huius filius *Σάμος* Straboni [2]) *εἴτε ἐπιχώριος Ἥρως, εἴτ᾽ ἐξ Ἰθάκης καὶ Κεφαλληνίας ἀποικίσας* laudatur. Cares igitur fabula antiquissimos manifestat insulae incolas, venatui magis quam agriculturae operam dantes ante tempora belli Troiani, siquidem Lycomedem recte interpretor Scyri regem, apud quem Achilles muliebri vestitu latebat [3]). Quaeri potest quid ansam praebuerit mythographis, ut Apollinem huic insulae condendae immiscerent: Respondebit Cicero de Div. I, 1. „Quam Graecia coloniam misit sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo [4])?" Colebatur autem Apollo Pythius imprimis Sami [5]), testibus Pausania II, XXXI. *ἀρχαῖος δὲ καὶ ὁ Σαμίοις Ἀπόλλωνος Πυθίου ναός* et Diod. Sic. I, 98, 30. ubi eiusdem dei simulacrum a Theodoro et Telecle Samiis statuariis elaboratum describitur.

### §. 7. Aeoles et Iones Sami coloni.

Deferimur ad alteram fabulam quae legitur apud Diodorum l. I, 98, 30. *Εἰς τὴν Σάμον ἕτερον ἐξέπεμψε* (Macareus qui Lesbum deduxerat colonos) *τὸν ὀνομαζόμενον Κυδρόλαον, ὃς ἐν ταύτῃ κατοικήσας καὶ τὴν νῆσον κατακληρουχήσας ἐβασίλευσεν αὐτῆς.* Siquam fidem huic narrationi tribueris, quae tamen, quia antiquissimas res non aliter ac recens gestas exponit nulla ex parte

1) Schol. ad Apollon. l. c. Lycophron v. 486 et Tzetz. l. c. Heraclid. Pont. *πολιτ.* X. Erasm. Adag. 2) L. XIV, p. 438. 3) Argonaut. Orphica v. 132. Strab. IX, p. 434. 4) Müller Aegin. p. 150. Apollo et Neptunus dii sunt omnino aedificatores. 5) Homer. hymn. in Apoll. v. 41.

commendatur, rem sic accipe. Post reditum Heraclidarum quum Aeolica gens duce Penthilo Orestis filio ex Peloponneso Lesbum profecta esset, prisci Lesbi incolae duce *Cydrolao* Samum confugerunt. Hunc sequitur *Tembrio* sive *Timbrio*, qui cum *Procle* Pityrei, Ionico a Xutho, eiectos ex Epidauria terra a Deïphonte et Argivis Ionas colonos Samum deducit et hoc pacto cum Caribus priscis insulae incolis convenit, ut urbs in duas tribus divideretur, quarum altera Chesia a Chesio flumine est nuncupata, altera Astypalaea antiqui ibidem siti oppidi nomen obtinuit [1]). Eo tempore qui insulam incolebant vi potius coacti quam benevolentia adducti, in penatium suorum societatem Iones receperunt. Proclem in Samiorum regno excepit *Leogoras* filius, qui tamen bello quod Androcles Ephesiorum dux Samiis intulit oppressus insula eiectus est. Arguebantur enim Iones Samum incolentes cum Caribus de bello Ioniae inferendo consilia agitasse. Profugorum e Samo pars Thraciae insulam petierunt, olim Dardaniam, post ab ipsis Samothracen nuncupatam [2]). At Leogoram qui secuti sunt ad Aenaeam [3]) in adversa continenti terra castellum permuniverunt, furando et latrocinando victum quaerentes [4]), donec decimo anno post Samum adorti pulsis Ephesiis insulam receperunt [5]). Haud ita multo post Samii Prienensibus, auxilium adversus Cares implorantibus, ludibrii causa pro classe et exercitu cymbulam miserunt, quam velut divinitus missum praesidium interpretati libenter receptam victoriae ducem habuerunt [6]). Neque tamen cymbulae Samiae sed Androcli cum Ephesiorum copiis in hoc bello auxilium iis fe-

---

1) Etym. M. v. *Ἀστυπ.* Strab. X, p. 314. XIV, p. 435. Pausan. VII, IV. Müll. Aegin. p. 41 et 67. Etym. M. l. c. *Προκλῆς* pro *Πατρόκλης* legendum. 2) Pausan. VII, IV. Strab. X, p. 314 et 15. cf. interpp. 3) Suid. v. *Ἄναια.* Thucyd. III, 32. VIII, 16, 17. 4) Plut. Qu. Gr. LV. 5) Pausan. VII, IV. Plut. l. c. 6) Valer. Max. I, VI de omin. cf. interpp.

renti hunc successum tribuendum esse quivis facile intelliget [1]). Coniunxerat quidem iam tum Samios cum Prienensibus et decem reliquis civitatibus *Panionium* Mycalense, quo legati duodecim Ionicarum civitatium conveniebant communia sacra *Ποσειδῶνι Ἑλικωνίῳ* inituri simulque de suis rebus publicis deliberaturi [2]). Videntur autem Samii neglecta hac Prienensium societate in illorum confinio ipsis maxime vicino agros sibi quaesivisse; quorum conatui cum Prienenses resisterent, orta sunt bella illa de finibus, quae ab hoc inde tempore usque ad ultimam aetatem gesta esse constat.

## Caput Secundum.

### §. 1. Mercatura. Itinera maritima. Opificia.

quirenti viam qua Samus tam celeriter ad potentiae fastigium accesserit, neque agricultura neque venatus obiiciuntur, sed primum res piratica, quam antiquissimis iam exercebant temporibus [3]). Contigit ipsis primis post Corinthios triremibus uti quattuor, quas Aminocles Corinthius ipsis Ol. XVIII fabricatus erat [4]). Magnam autem navibus fabricandis operam eos impendisse probant Hesychius [5]): *αἱ λεγόμεναι Σάμιαι ναῦς κατέστρωντο δι᾽ ὅλου: Δίδυμος δὲ, τὰς Σαμίας ναῦς ἰδιαιτέραν παρὰ τὰς ἄλλας ναῦς τὴν κατασκευὴν ἔχειν, εὐρύτεραι μὲν γάρ εἰσι τὰς γαστέρας. τοὺς δὲ ἐμβόλους σεσήμανται, ὡς δοκεῖν ῥύγχεσιν ὑῶν ὁμοίως κατεσκευάσθαι, οἷον ἰχθυπρώρους εἶναι. διὸ καὶ ταύτης λέγεται. ναῦς δέ τις ὠκυπόρος Σαμία ὑὸς εἶδος ἔχουσα*, et Plutarchus [6]): *ἡ δὲ Σάμαινα ναῦς ἐστιν ὑπόπρωρος μὲν τὸ σι-*

1) Pausan. VII, 11. 2) Herod. III, 143, 148. Steph. Byz. *Πανιώνιον*. Hesych. v. *Πανιών*. ubi *Ἀπόλλωνος* corrigas per *Ποσειδῶνος*. 3) Plut. Qu. Gr. LV. 4) Thucyd. I, 13. 5) v. *Σαμιακὸς τρόπος*. 6) Pericl. XXVI.

*μωμα, κοιλότερα δὲ καὶ γαστροειδὴς, ὥςτε καὶ ποντοπορεῖν καὶ ταχυναυτεῖν. οὕτω δ᾽ ὠνομάσθη διὰ τὸ πρῶτον ἐν Σάμῳ φανῆναι, Πολυκράτους τυράννου κατασκευάσαντος.* Polycrati hoc navium genus inventum tribuunt et Alexis [1]) et Lysimachus [2]), neque aliud voluisse videtur Plinius [3]) qui Hippagum Samios invenisse tradit. Samios denique a priscis inde temporibus rei navalis studio addictos fuisse cognoscimus ex Pausania [4]): *ὅτι Σάμιοι τὰ ἐς ἀθλητὰς καὶ ἐπὶ ναυμαχίας Ἰώνων εἰσὶν ἄριστοι.* Quid itaque mirum quod Dexicreon in Cyprum *ἐπ᾽ ἐμπορίᾳ* navigasse et Veneris consilio non merces sed aquam navi immisisse narratur, qui postea ex magno lucro quod aqua sitientibus mercatoribus vendita comparavit, templum in deae honorem Samum reversus sacravit [5]). Ol. XXXI iam Aegyptum Samii accesserunt rem piraticam exercentes et a Psammeticho in palustria relegato arcessiti in fidem et societatem recipiuntur, agrosque inter Nilum sitos nacti, infra Bubastin urbem in Pelusio Nili ostio consederunt [6]). Ol. XXXVII sub tempora deductae a Theraeis Cyrenas coloniae [7]) Samia navis gubernante Colaeo quae Aegyptum petebat, vento abrepta non modo ad Africae littus appulit, sed Heracleas etiam ultra columnas evecta Tartessum pervenit, ibique pro mercibus sexaginta talenta lucrati in patriam redeunt, *μέγιστα Ἑλλήνων πάντων τῶν ἡμεῖς ἀτρεκίην ἴδμεν, ἐκ φορτίων ἐκέρδησαν, μετά γε Σώστρατον τὸν Λαοδάμαντος Αἰγινήτην.*

Quia Corobium cuius ductu Theraei Plateam concesserant, a fame liberaverant, *Κυρηναίοισι καὶ Θηραίοισι ἐς Σαμίους ἀπὸ τούτου τοῦ ἔργου πρῶτα φιλίαι μεγάλαι συνεκρήθησαν.* Elpis Samius in Africam nave delatus occurrit apud Plinium [8]). Quantopere autem Samii mercaturae

---

1) Athen. XII, p. 540. D. 2) Suid. v. *Σαμαίνη.* 3) L. VII, s. 57. 4) L. V, p. alt. II. 5) Plut. Qu. Gr. LIV. 6) Herod. II, 152. 7) Herod. IV, 152. 8) H. N. VIII, s. 21.

prae ceteris adhaeserint facillime colligitur ex Herodoto [1]), ubi Graecis in Aegyptum profectis Ol. LIII Naucratin ab Amasi datam refert. Qui autem ibi habitare nolebant sed tantum mercaturae causa navibus eo tendebant, iis concessit altaria et templa patriis diis ut exstruerent. Hellenium plurimae civitates sacrum condiderunt commune. Samii vero, utpote potentiores et mercatura superiores, *ἐπ' ἑωϋτῶν ἱδρύσαντο τέμενος Ἥρης* aeque ac Milesii Apollinis, Aeginetae Iovis [2]). Quid autem erat quod Samii alias in terras diveherent? maximam partem iam attulimus in insulae descriptione, candidissimum oleum, fruges, pavones, vinum, etiamsi non optimum, post tempora Polycratea lanam: Polycrates enim Milesiis ovibus eo translatis [3]) Samiorum lanae celebritatem conciliavit tantam, ut stragula Samia mollissima posthac magno in honore haberentur [4]). Neque mercatura eos ab *opificiis* abstraxit vilioribus, sed vasis ad utilitatem magis quam splendorem elaboratis insula omnino inclaruit. Fuit autem iuxta Cerceteum [5]) *Γεωφάνιον*, locus in quo metallum latebat [6]) a tauro Mandrobuli inventum. Qui quum reperto metallo ditatus, Iunoni Samiae primum aureum posuisset taurum, proximo anno argenteum, tertio aeneum [7]), natum est inde proverbium *ἐπὶ τὰ Μανδροβούλου*, quod ad eos pertinet qui indies in peius labuntur [8]). De Samiae terrae duobus generibus audias Plinium l. XXXV, s. 53. qui eas collyrium et asterem appellari tradit. Prioris laus ut recens sit et levis linguaeque glutinosa; altera glebosior, candida [9]). Utraque uritur ac lavatur.

1) L. II, 178. 2) Herod. l. c. Steph. Byz. v. *Ἔφεσος. Σάμος νῆσος ἐν τῷ Νείλῳ.* 3) Athen. XII, p. 540. D. 4) Theocrit. Idyll. XV, 125, 126. 5) Nicand. Alexiph. p. 139. 6) Ephorus *περὶ χωρίων* ap. Harpocrat. p. 40. Dinarch. ap. Poll. Onom. VII, XXIII. 5) Suid. v. *Ἐπὶ τὰ Μανδροβ.* Clem. Alex. Protr. p. 19. 8) Erasm. Adag. *Ἐπὶ Μανδροβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα.* 9) cf. Schol. ad Nicand. Alexiph. p. 139.

lavatur. Sunt qui praeferant priorem. Prosunt sanguinem exspuentibus. Emplastris, quae siccandi causa componuntur, oculorum quoque medicamentis miscentur [1]). Huic Samiae terrae debentur vasa Samia ex fictilibus optima et celebratissima. Laudantur Lactantio [2]), „Cur autem figulinae repertori honos non habetur? An quia isti divites vasa Samia contemnunt?“ Plinio [3]) Samia etiamnum vasa in esculentis, Plauto [4]) Samiolum poterium et [5]) Samia vasa, auctori librorum ad Herennium [6]), qui tametsi hospites habet, Samiis se delectari profitetur, argenteis alii cuipiam mutuo datis, assentiente Tibullo [7]), qui vasa Samia in conviviis laetis exponere suadet. Mirum illum usum haud silentio obibo, in quem Matris Deum sacerdotes qui Galli vocantur Samiam testam adhibent, ut virilitatem amputent, nec aliter citra perniciem id fieri M. Coelius affirmat [8]). Duo alia hic adnectam, Melinum candidum et lapidem Samium, edoctus Plinio [9]) Melinum candidum optimum in Melo insula esse, in Samo quoque nasci: sed eo non uti pictores propter nimiam pinguitudinem. Accubantes effodiunt ibi inter saxa venas scrutantes [10]). Lapis Samius poliendo auro utilis, et in medicina oculorum ulceribus cum lacte contra veteres lacrymationes. Prodest et contra vitia stomachi potus: vertigines sedat, mentes commotas restituit [11]). Nomen huius lapidis servavit Hesychius *Ἀναβαλλαγόρας*, recte interpretatus *φάρμακόν τι καὶ λίθος ἐν Σάμῳ*.

---

1) Hesych. v. *Σαμία γῆ. ἰατρικὸν μίγμα.* cf. Matthiol. in Dioscor. V, 172. Aldrov. II de metall. c. 8. p. 248. Oribas. XIII, collect. p. 226. Marcell. Empir. c. 8. p. 52. Aetius II, 6. p. 49. 2) p. 80. 3) H. N. XXXV, s. 46. 4) Stich. V, IV, 12. 5) Capt. II, 2. 6) IV, 51. Cic. pro Muren. XXXVI. 7) Carm. II, 3, 51. 8) Plin. H. N. XXXV, 46. Martial. Epigr. III, 87. 9) H. N. XXXV, 19. 10) Theophr. *περὶ λίθων* p. 13. 11) Plin. H. N. XXXVI, 40. Isidor. XIV orig. 4. Dioscor. V, 173.

§. 2. Nummi Samiorum.

Commercium, de quo iam disputatum est, haud diu permutatione rerum stetisse, sed nummis peractum fuisse optime demonstrat Colaeus Ol. XXXVII sexaginta talenta lucratus. Habueruntne autem Samii insulani et propterea frequentiori cum exteris commercio utentes aliquam sibi propriam monetam? Atqui praeter Suidam v. *Σαμαίνη· οἱ δὲ τὴν Σαμαίνην νόμισμα εἶναι,* hoc ipsum confirmat magna Samiorum nummorum copia nobis relicta. Ad antiquissimos pertinere dixerim qui pavone insigniti sunt, altera parte caput muliebre et *Σαμίων* exhibentes, de quibus Athenaeus verba facit propterea Samiorum monetam pavone signari, quod in Iunonis Samiae templo pavones alerentur huic deae sacri [1]). Haec autem pecunia sane fuit argentea utpote antiquissima, una cum aurea rarius usurpata, quum aerea posterioribus aetatibus iure tribuenda videatur. Teste enim Herodoto [2]), Polycrates Ol. LXII nummos aureos signavit et magnam vim monetae patriae e plumbo cusam (*ἐπιχώριον νόμισμα κόψας*) auroque obductam Lacedaemoniis obtulit.

Reperitur autem inter autonomos unus qui ad Iunonis cultum spectat nummus *ΜΗΝΗ CΑΜΙΩΝ.* Caput muliebre, iuxta lunula; in adversa parte *ΘΕΟΝ CΥΝΚΛΗΤΟΝ.* Caput virile habens, quem bene interpretatus est Eckhel, ut nihil addam quum de senatu Samiorum suo loco dicendum sit. Accedo ad ceteros autonomos, quos laudavit Eckhel: Caput adversum leonis. *ΗΓΗΣΙΑΝΑΞ. Σ* vel *ΣΑ.* Bos dimidius, pone ramus [3]). Caput adversum leonis. *ΣΑΜΙΩΝ.* Bos dimidius, iuxta arbutum et pedum. Pertinent ad Polycratis tempora, Batto Cyrenaico haud obloquente in Cyrenaeorum cum Samiis vetere ami-

1) Athen. XVI, p. 655. A. cf. Eckhel doctr. numm. Tom. II, p. 569. 2) L. III, 56. 3) Eckhel doctr. numm. T. II, p. 568. cf. variantes: *ΒΑΤΤΟΣ ΣΑ.* sqq.

citia et societate [1]). Quid autem de leonis capite? In mentem venit Elpis Samius, qui cum e leonis hiatu feliciter evasisset, templum *Διονύσου κεχηνότος* condidisse perhibetur [2]), unde inter leonem et Liberum eandem intercedere rationem coniicies quam inter pavonem et Iunonem, haud adversante Elpide qui in hoc vitae discrimine Liberi auxilium implorabat, nec Creuzero qui Osiridi leonini corporis symbolum adesse demonstrat [3]); qua quidem ratione etiam aliqua lux affulgebit bovi dimidio qui in altera monetae parti conspicitur. Nam auctore Plutarcho [4]), Dionysus primus ex India duos boves in Aegyptum duxisse fertur: sin autem huic fabulae originem signi in Samia moneta deberi neges, de bove fortasse quo praemio victores in dithyrambis ornabantur cogitare licet [5]), quae interpretatio ramo apud bovem conspicuo egregie confirmatur [6]). Sub primis Augustis rariores Samiorum nummi; inde a Caracalla usque ad Gallienum nihil his vilius. *ΣΑΜΙΩΝ* pavo cum sceptro transverso in nummis Augusti. Alii hisce typis insignes: Iuno pronuba stans, saepe cum adminiculis, pallio retro a summo ad imum defluo tecta: fluvius humi decumbens, fortasse Imbrasus. Meleager aprum venabulo excipiens: Vulcanus super incude arma fabricans. Insolentior typus in nummis Gordiani et Gallieni: vir nudus qui stans ambabus manibus lapidem praegrandem in arrectum serpentem coniicit. Porro athleta stans d. lauream s. palmae ramum. In nummis copiosis inde a Commodo *ΠΥΘΑΓΟΡΗC CΑΜΙΩΝ* Pythagoras pallio indutus, qui sedens sphaeram tripodi impositam radio contingit. In nummis Gordiani et Decii *ΠΡΩΤΩΝ ΙΟΝΙΑC*, denique Concordia cum

1) Herod. IV, 152. IV, 162, 163, 164. 2) Plin. H. N. VIII, s. 21. Aelian. var. hist. VII, 11. 3) Symbol. I, p. 502. 4) De Isid. et Osir. p. 326. B. p. 484. Wyttenb. 5) Creuzer Symbol. III, p. 130. cf. Plut. Anton. LVI. 6) Eckhel doctr. numm. T. II, p. 568.

Alexandria Aegypti: *ΣΑΜΙΩΝ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ.* Isis stans cum velo [1]). Allatis hisce Samiorum nummis Eckhelius pro tanta monetae Samiae copia nullam magistratus mentionem factam miratur; quod silentium mihi quoque non modo mirum visum est, verum etiam haud parvum incommodum attulit de reipublicae forma disserenti, quae res, scriptorum testimoniis deficientibus, nummis magnopere adiuvari potuisset. Afferam in fine huius disputationis Samios suo quoque metro uti teste Herodoto [2]), *ὁ δὲ Αἰγύπτιος πῆχυς τυγχάνει ἴσος ἐὼν τῷ Σαμίῳ.*

### §. 3. Coloniae.

In aestimanda civitatum natura et condicione magni momenti sunt coloniarum deductiones, quibus nescio an ulla res evidentius civitatum magnitudinem et potentiam demonstret. Dimisit autem nostra insula colonos haud paucos, omnesque fere ea aetate quam hic tangimus.

Omnium antiquissimam, maximam, celeberrimamque dico, *Σαμοθράκην* (Samothraki), conditam a Samiis, quos Androcles Ephesiorum rex patria expulerat [3]). Non possum quin locum classicum Antiphontis in oratione de Samothrace hic subiiciam: *καὶ γὰρ οἱ τὴν ἀρχὴν οἰκήσαντες τὴν νῆσον, ἦσαν Σάμιοι, ἐξ ὧν ἡμεῖς ἐγενόμεθα. Κατῳκίσθησαν δὲ ἀνάγκῃ, οὐκ ἐπιθυμίᾳ τῆς νήσου· ἐξέπεσον γὰρ ὑπὸ τυράννων* (ab Androcle Ephesio) *ἐκ Σάμου καὶ τύχῃ ἐχρήσαντο ταύτῃ· καὶ λείαν λαβόντες ἀπὸ τῆς Θράκης ἀφικνοῦνται εἰς τὴν νῆσον* [4]). Ut de eorum mysteriis taceam [5]), inclaruerunt *ἅτε δὴ ἐόντες ἀκοντισταὶ* [6]),

1) Eckhel doctr. numm. II, p. 569 et 570. 2) L. II, 168. 3) Pausan. VII, 4. Scymn. Chii. Perieges. v. 678. 4) Suid. v. *Σαμοθράκη.* cf. Etym. M. v. *Σαμοθράκη.* Heraclid. P. *πολιτ.* XXI. 5) Herod. II, 51. Diod. S. III, 55. V, 49. IV, 43, 48. Suid. v. *Ζηρυνθία.* Lycophr. v. 449 et Schol. Schelling de myster. Samothr. 6) Herod. VIII, 90.

condiderunt in ora adversa Dorisco proximam *Σάλην* et *Ζώνην*[1]), *Μεσαμβρίην* quae ultima urbs *τῶν Σαμοθρηϊκίων τειχέων* ad occidentem sita vocatur[2]), denique *Σέῤῥειον*[3]). Protulit Samothrace *κρόμυον*, cepam omnium praestantissimam[4]), peucedanum[5]), sagdam gemmam nigram ac sine pondere, ligno similem[6]), pompilum piscem Neptuno et diis Samothraciae sacrum[7]). Abundabat mythicis nominibus *Αἰθιοπία*[8]), *Λευκοσία*[9]), *Μελίτη*[10]), Dardania[11]). Ab Imbro triginta duo M. P., a Lemno viginti duo M. P., a Thraciae ora mille abest; circuitu triginta duo M. P. tenet, attollitur monte Saoce, decem M. P. omnium maxime importuosa[12]). Scopas fecit Samothracibus Venerem et Phäetontem qui ibi sanctissimis cerimoniis coluntur[13]). Historiam *κατὰ Σαμοθράκην* conscripsit Idomeneus *Ἱστορικὸς*[14]), *περὶ Σαμοθράκης* Polemon Periegeta[15]): Athenionis etiam *Σαμόθρακες*[16]) Aeschylique *Κάβειροι* laudantur Athenaeo[17]). De Samothracum nummis adeas Eckhelium[18]).

Una cum colonia in Samothraciam deducta muniverunt Samii *Ἀναίαν* in adversa continenti castellum, unde decimo anno post Samum adorti Ephesiis pulsis insulam receperunt[19]). *Ἀναία· ἔστι δὲ Καρίας, ἀντικρὺ Σάμου· κέκληται ἀπὸ Ἀναίας Ἀμαζόνος ἐκεῖ ταφείσης, ὡς Ἔφορος, τὸ ἐθνικὸν Ἀναῖος· ἐντεῦθεν ἦν Μενέλαος ὁ περιπα-*

---

1) Herod. VII, 59. 2) Herod. VII, 108. 3) Steph. Byz. v. *Σέῤῥειον*. 4) Antiphanes ap. Athen. I, p. 28. D. Plin. H. N. XIX, 32. Theophr. VII hist. c. 4. 5) Plin. H. N. XXV, 70. Dioscor. III, 92. Appulei. c. 94. 6) Plin. H. N. XXXVII, 67. 7) Athen. VII, p. 283. A. 8) Hesych. *Αἰθιοπ.* vid. Harpocrat. 9) Aristot. *Σαμοθρ. πολιτ.* ap. Schol. ad Apoll. Argon. I, 916. Heraclid. P. *πολιτ.* XXI *Λευκανία* habet. 10) Strab. X, p. 325. 11) Callimach. ap. Plin. H. N. IV, 23. Steph. Byz. v. *Σαμοθρ.* Pausan. VII, 4. Strab. Excerpt. VII, p. 482. 12) Plin. IV, 23. 13) Plin. XXXVII, 67. 14) Suid. v. *Ἰδομενεύς*. 15) Athen. IX, p. 372. A. 16) L. XIV, p. 660. E. 17) L. X, p. 428. F. 18) Doctr. numm. Tom. II, p. 52. 19) Pausan. VII, 4. Plut. Qu. Gr. LV.

*τητικὸς φιλόσοφος καὶ μέγας ἱστορικὸς, Ἀναῖος* [1]). Saepius Samii rerum statum moleste ferentes Anaeam confugerunt [2]), indeque cum hostibus res novas moliti sunt.

Eodem fere tempore *Πέρινθον* (Rheglia) Samii condiderunt, siquidem recte Steph. Byz. *Πέρινθος ἀπὸ Περίνθου Ἐπιδαυρίου τοῦ μετὰ Ὀρέστου στρατευσαμένου* de Samiorum sub Leogora Epidaurio fuga intelligo. Esse autem Samiorum coloniam testantur Plutarchus [3]), de bello disserens quod Megarenses *Περινθίοις ἀποίκοις οὖσι Σαμίων* intulerunt, et Scymnus Chius [4]),

*Μετὰ τὴν δὲ χεῤῥόνησον ἐν Προποντίδι*
*Θράκη παρήκει καὶ Σαμίων ἀποικία*
*Πέρινθός ἐστιν.*

Videntur Megarenses Byzantio Ol. XXX condito [5]) Perinthum quoque appetiisse, belloque propterea Perinthiis illato postea Perinthum quae nomen Heraclea obtinuit [6]) incoluisse. Sic enim Heraclea urbs Graeca Dorica Megarensium colonia vocari potest [7]): sic Meletius *Πέρινθον κτισθεῖσαν πρὸ τῆς Χρίστου γεννήσεως ἔτη χ' σχεδὸν* vere dixerit [8]); neque Byzantiis iniuria Perinthios *συμμάχους καὶ συγγενεῖς* dici apparet [9]). Perinthus edito loco ad mare sita aedes permultas et altitudine conspicuas habuit, palatia splendidissima a Vespasiano aliisque Romanorum imperatoribus exstructa, celeberrimumque amphitheatrum, forma urbis quandam theatri similitudinem referente. A Philippo Macedonum rege Ol. CIX, 4 oppugnata fortiter defenditur; urbs satis opulenta

---

1) Steph. Byz. Suid. v. *Ἀναία.* cf. Scylac. Peripl. p. 37.
2) Thucyd. III, 19. 32. IV, 75 *τὰ Ἄναια ἐπὶ τῇ Σάμῳ* non *ἡ Ἀναία.* cf. L. VIII, 19. Eustath. ad Dionys. 828. 3) Qu. Gr. LVII. cf. Eckhel doctr. numm. Tom. II, p. 40 *Περινθίων Ἰώνων* et Chron. paschal. p. 28. 4) Perieges. v. 712. 5) Euseb. Chron. 6) Eustath. ad Dionys. p. 26. Geograph. *Πέρινθος νῦν Ἡρακλεῖα.* 7) Arrian. peripl. Pont. Euxin. p. 14. Eustath. ad Dionys. v. 787 et 788. Anonymi descript. Pont. Euxin. p. 4. 8) Geogr. *Ἡράκλεια.* 9) *Ψήφισμα Βυζαντίων* ap. Demosth. de coron. p. 256. ed. Bekker.

tunc temporis ab Atheniensium parte stabat [1]). Colebatur eadem quae in metropoli dea Artemis, cognomine *Πολυβοία*, una cum Cerere *Παμβοτάνῳ* quae omnia pascit [2]): omnium autem maxime Hercules et testibus nummis dea Samiorum patria Iuno [3]). Severus quum Romanorum praeesset imperio Byzantium captum Perinthiis dono tradidit [4]).

Viginti millia P. meridiem versus emensus accedes ad *Βισάνθην*, urbem haud ignobilem et satis frequentem. *Βισάνθη* non *πόλις Μακεδονίας* sed *κατὰ Θρᾴκην ἄποικος Σαμίων. Τὸ ἐθνικὸν Βισανθηνὸς, ἀφ' ἧς Φαίδιμος ἐλεγείων ποιήτης* [5]). Propterea Bisanthe *Samiorum* Pomponio Melae [6]) vocatur. Est Thracica civitas in ore Ponti sita. Audiit postea *Ῥαιδέστον* [7]), hodie Rhodosto, commodissimumque habebat situm ad navigandum Hellespontum [8]), Bacchi Cererisque donis hodieque dives [9]).

Tertiam in hac Thracica ora *Ἡραῖον Τεῖχος* dicam Samiorum coloniam, cuius conditae tempus vix certius quam priorum constituere ausim. Videntur tamen circa Ol. trigesimam Samii colonos eo misisse [10]). *Ἡραῖον Τεῖχος. Χωρίον ἐστὶν ἐν Θρᾴκῃ οὕτως ὀνομαζόμενον, ὑπὸ Σαμίων δὲ ᾠκίσθη* [11]). In Iunonis honorem urbi hoc indidisse nomen Samios elucet templo Deae ibi exstructo.

Ol. XXIX, in Amorgum (Amorgo) + insulam Cycladem a Naxiis conditam Samii duce Simonide iambographo devenerunt. *Σιμωνίδης· ἦν δὲ τὸ*

---

1) Diod. Sic. XVI, 74. 2) Hesych. v. *Πολυβοία* et *Πάμπανον* corruptissimam vocem. 3) Eckhel doctr. numm. Tom. II, p. 39. sqq. 4) Herodian. Sever. et ex eo Suid. v. *Περινθιος*. 5) Steph. Byz. v. *Βισάνθη*. 6) L. II, 11. 7) Ptolem. III, 11. 8) Procop. de aedif. Iustiniani. Itin. Ant. August. 9) Pococke descript. Or. III, p. 143. Eckhel doctr. numm. Tom. II, p. 25. 10) Alia Raoul-Rochette Etabl. III, p. 427. 11) Dionys. Chalcid. *Κτισ.* lib. quint. ap. Harpocrat. v. *Ἡρ. Τεῖχ.* Etym. M. Suid. Steph. Byz. Phot. Lex. v. *Ἡρ. Τεῖχ.*

+ Henzen, Ann. 1864 p. 94 Σαμίων τῶν Ἀμοργὸν Μινώαν κατοικούντων ([illegible]). Auf C.I.Gr. 2264 b [illegible] in Aigiali Milesier. cf. [illegible] 1854 p. 684 ff. Μειλησίων τῶν Ἀμοργὸν κατοικούντων [illegible]

ἐξ ἀρχῆς Σάμιος· ἐν δὲ τῷ ἀποικισμῷ τῆς Ἀμόργου ἐστάλη καὶ αὐτὸς ἡγεμὼν ἀπὸ Σαμίων· ἔκτισε δὲ Ἄμοργον εἰς γ' πόλεις, Μινώαν, Αἰγιαλὸν, Ἀρκεσίμην· γέγονε δὲ μετὰ υϛ' ἔτη τῶν Τρωϊκῶν· ἔγραψε κατά τινας πρῶτος Ἰάμβους καὶ ἄλλα διάφορα· Ἀρχαιολογίαν τε τῶν Σαμίων [1]). Nomina fabulosa *Παγκάλη* et *Ψυχία* affert Stephanus v. *Ἄμοργος*. Apollinem coli docet nummus Amorginus [2]).

Postquam Ol. XXXVII Cyrenensium amicitiam sibi conciliaverant Samii, commercio in Libyam studiosissime se applicuerunt ideoque in Oasi urbem condiderunt, Ὄασιν πόλιν ἔχουσι μὲν Σάμιοι τῆς Αἰσχριωνίης φυλῆς λεγόμενοι εἶναι· ἀπέχουσι δὲ ἔπτα ἡμερέων ὁδὸν ἀπὸ Θηβέων διὰ ψάμμου· ὀνομάζεται δὲ ὁ χῶρος οὗτος κατὰ Ἑλλήνων γλῶσσαν Μακάρων νῆσοι [3]). Nomen quod patria tam ob felicitatem caeli quam ob fertilitatem terrae nacta esse perhibetur [4]), et hanc urbem propter fruges quibus excellebat iure obtinuisse tradunt [5]). Ol. quadragesima eo Samios delatos coniecerim, in quos Cambysis milites Ol. LXIII incolas huius urbis incidunt.

Tenebant quoque orae partem quae a Mycale ad Ephesum patebat, ita ut Neapolin oppidulum Ephesi proximum finem Samiorum agrorum hac parte constituerim. Ephesii enim Samiis tradiderunt recepto Marathesio [6]). Alia quaedam huius orae loca refert Scylax [7]) fuisse Samiorum, Erasistratium, Charadrum, Phygelam, Ascandalem [8]).

---

1) Suid. v. *Σιμμίας Ῥόδιος*. Creuzer de art. hist. Gr. p. 66. et Voss. de histor. Gr. duos Simmias grammaticos fuisse putant, haud videntes titulum *Σιμωνίδης* omissum ante vocem *ἦν δὲ*. Apparet ex Suid. v. *Σιμωνίδης* et Steph. Byz. v. *Ἄμοργος*. *Ἀρχαιολογία Σαμίων* erat carmen, non ut Creuzero l. c. videbatur, sermone pedestri scriptum. Erravit quoque Müllerus Aegin. p. 38. Cf. Procl. Chrestom. p. 342. 2) Eckhel doctr. numm. Tom. II, p. 325. 3) Herod. III, 26. 4) Diod. Sic. V, 81. 5) Ritter geogr. Tom. I, p. 378. 6) Strab. XIV, p. 639. C. 7) Peripl. p. 37. et Gronov. not. 8) Raoul-Rochette Hist. de l'etablissem. des col. Gr. T. III, p. 153.

Incerta aetate coloniam Samii deducunt in Celendrem et Nagidum inter promontoria Sarpedonem et Anemurium sitas [1]). Celendris antiquissima Ciliciae urbs perhibetur Artemidoro [2]).

Quae nunc sequuntur coloniae etiamsi hanc aetatem excedunt, tamen hic adnectere satius habui, quam singularem paucis notatuque minus dignis locum designare.

Ol. LXIII, 1 Samii a Lacedaemoniis quos contra Polycratem tyrannum in auxilium vocarant destituti, in Cretam navigarunt ibique *Cydoniam*, (Canea) condiderunt [3]), et patriis sacris eo translatis Artemidis Dictynnae templum exstruxerunt, sed sexto anno Aeginetis pugna navali inferiores insula eiecti sunt [4]), et Dicaearchiam seu Puteolos in Campania se converterunt [5]).

Iam nominanda est ultima Samiorum colonia *Ζάγκλη*, de qua Herodotus [6]) et Thucydides [7]) plane diversa a Pausania [8]) narrant. Thucydides enim Zanclen refert a Cumaeis conditam esse; tum accessisse colonos ex Chalcide et reliqua Euboea, ducibus Periere et Crataemene quorum alter Cumaeus, alter Chalcidensis fuerit. Seriore autem tempore eo advenisse Samios Medos fugientes. Suffragante Herodoto, Ol. LXXI, 3 post pugnam ad Ladam ante Aeacis reditum eo abierant Samii, provocati a Zanclaeorum legatis ut *Καλὴν Ἀκτὴν* occuparent. Antequam vero cum Milesiis profugis in Siciliam profecti Scythae Zanclaeorum regi sese adiunxissent, auctore Anaxilao Regii tyranno, missa *Καλῇ Ἀκτῇ*, Zanclen tunc incolis destitutam occupaverunt. Neque Zanclaei Hippocrate Gelae tyranno in auxilium vocato quidquam profecerunt, qui foedere cum Samiis inito Zanclen iis concessit. Vitae trecentorum e Zanclaeis primorum, quos Hippocrates iis dederat interficiendos, pepercerunt

1) Pompon. Mela I, 13. 2) Ap. Strab. XIV, p. 440. A. cf. Raoul-Rochette T. III, p. 151. 3) Steph. Byz. *Κυδωνία* de mythica origine disserit. v. Eckhel doctr. numm. Tom. II, p. 310 et 311. 4) Herod. III, 59. 5) Euseb. Chronic. Ol. LXII, 4. Steph. Byz. v. *Ποτίολοι.* v. *Δίκαια.* Harpocr. v. *Δικαιόπολις.* 6) L. VI, 22, 23. 7) L. VI, 4. cf. Aristotel. Pol. V, 2, §. 11. 8) L. IV, 23.

Samii: πόλιν καλλίστην Ζάγκλην περιεβαλέατο [1]). Pro imperii iure aliquamdiu nummos patriis typis insignibant, quos etiam vicinum ac tum amicum Regium recepit [2]). Tenuerunt Samii una cum Cadmo Scythae tyranni filio urbem [3]), nec diu, quippe Anaxilas eos non multo post eiecit urbemque ab antiqua eius patria Messene nuncupavit Messenen [4]). Pausanias contra Messenios refert bello Messeniaco secundo finito ex patria pulsos, ab Anaxilao Reginorum tyranno [5]) advocatos Zanclen occupasse prius a praedonibus obsessam, ducibus Crataemene Samio et Periere Chalcidensi. Messenios tunc victis Zanclaeis quos Anaxilaus interficere vellet pepercisse et foedere facto domicilium cum victis communicasse ita tamen, ut urbs pro Zancle Messana appellaretur [6]). Pausanias igitur res confudit neque ullam fidem nisi quoad originem nominis Messanae in Ol. XXIX relatam habet: ceterum Crataemenes vix fuerit Samius.

### §. 4. Amphicrates Syloson. Demoteles.

*Amphicrates* βασιλεύων ἐν Σάμῳ vix ante Ol. XXV, Aeginetis bellum intulit, quo Samii Aeginetis multa adversa et attulerunt et ab illis perpessi sunt [7]). Unde recte collegit Müllerus [8]), Amphicratem iam mari potentem fuisse si cum Aeginetis longinquis bella gerere poterat. Dein Geomori imperium tenuerunt, quo quidem tempore servorum seditionem Sami exortam dixerim. Samiorum enim servi mille rebelles in Ampelum abierunt et gravibus damnis Samios affecerunt, donec sexto anno post, oraculi monitu, facto cum Samiis foedere ut illaesi dimitterentur, insula navibus egressi Ephesum petierunt [9]). Lacedaemoniis in bello Messeniaco altero circa idem tempus navibus adfuerint [10]). Libertatem vero, qua insula sub Geomororum principatu gaudebat, sustulit

1) Herod. VI, 23. 2) Eckhel doctr. numm. I, p. 221. 3) Herod. VII, 164. 4) Thucyd. VI, 5. Herod. VII, 164. 5) Duos Reginorum tyrannos cognomines qui miratur, duos sibi Sylosontes in memoriam revocet. 6) Pausan. l. IV, 23. 7) Herod. III, 59. 8) Aeginet. p. 67. 9) Malacus ap. Athen. VI, p. 267. A. 10) Herod. III, 47.

*Syloson* Callitelis filius, qui cum aura populari frueretur, dux electus est in bello quod Samii adversus Aeoles gerebant [1]. Fortasse belli auctores putaveris Lesbi priscos incolas eiectos ab Aeolibus, Cydrolao duce Samum deductos, qui Samios ad expeditionem contra Aeoles instigaverint, ut antiquas sibi vindicarent sedes. Lesbiorum certe hostilis in Samios animus etiam foedere cum Milesiis contra Polycratem inito comprobatur [2]. Samii ergo hoc bello suscepto quum solemne festum in templo Iunonis celebrare omitterent, Syloson nequaquam, inquit, se in eo magistratu commissurum ut honor deae negligeretur, quo stuporem etiam hostibus incutiens eos ad patrium conventum pelliceret. Samii collaudata ducis pietate et fortitudine, ad Iunonis templum accesserunt ibique quae ad festum pertinerent parabant omnia. Syloson interea noctu in urbem regressus, a triremibus nautas intro revocavit et Samiorum imperium occupavit. Haud ita multo post in bello Chalcidensium cum Eretriensibus de Lelanto Samii a parte Chalcidensium stabant, Milesii ab Eretriensium [3]. Nihilominus in Chalcidensium et Andriorum de Acantho lite Ol. XXX. arbitri constituti Samii pro Andriis sententiam tulerunt [4].

*Demoteles* regum Samiorum agmen claudit [5], de quo nihil habeo quod enarrem, nisi periisse circa Ol. XL. Quo interfecto ad Geomoros rediit imperium.

### §. 5. Bellum Megarense.

Perinthiis Samiorum colonis Megarenses tunc bellum intulerunt, simulque catenis ad tenendos quos capturi essent Perinthios sese instruxerant. Geomori hoc nuntio audito celeriter auxilium mi-

1) Herod. III, 45. Polyaen. strat. I, 23. 1. 2) Herod. l. c. 3) Herod. V, 99. Thucyd. I, 15. Strab. X, p. 448, 465. 4) Plut. Qu. Gr. XXX. Euseb. Chron. Ol. XXXII. Acanthus conditur. 5) Plut. Qu. Gr. VII.

serunt novem duces cum triginta navibus quarum duae ante portum fulmine percussae sunt. Ceterae ubi Perinthum advenerunt, victoria de Megarensibus reportata, sexcentos viros ceperunt. Victoria elati Geomororum imperium tollere moliti sunt, et facultate a civium primoribus ipsis oblata, Megarensium quos ceperunt ad urbem liberandam armatorum ope, Samum ingressi per forum in Senatum tendunt, ibique Geomoros praesides dato signo interficiunt. Sic libertatem Samus recuperavit et Megarensium quoslibet civitate donavit: catenas in magno aedificio hunc in finem exstructo deposuerunt, cui nomen inditum ὁ Πηδητής [1]). Iam ad bella Prienensium accedo de quibus supra sermo factus est.

## §. 6. Bellum Prienense.

Samii enim qui cum Prienensibus ob agros in Prienensium terra sitos, Batinetidem potissimum, bellum gerebant, postquam per aliquod tempus aequo Marte pugnatum erat, re in discrimen adducta mille suorum perdiderunt. Septimo abhinc anno cum Milesiis iterum congressi ad locum quem vocant quercum (δρῦν) nobilissimi et primores e civibus occubuerunt, qua in re magnam sibi Bias sapiens Priene in Samum legatus conciliavit gloriam [2]). Prienensium autem mulieribus hoc infortunio afflictis iusiurandum et imprecatio exstitit summa Ad quercum tenebrae, ὁ περὶ δρυῒ σκότος, propterea, quod ipsarum liberi, patres, mariti ibi interfecti fuerint [3]). Ol. XLVII, 3 crate-
540 rem quem Lacedaemonii Croeso portabant intervertisse dicuntur [4]). Eodem anno Corcyraeorum trecentos liberos a Corinthiis ad Alyattem Sardes

1) Plut. Qu. Gr. l. c. 2) Plut. Qu. Gr. XX. Aelian. var. hist. III, 17. Cic. de orat. III, 34. Chandler Inscr. antiq. P. I, p. 15. 2. 3) Aristot. Σαμ. πολιτ. Plut. l. c. Chandler Marmor. Oxon. II, 25. 4) Herod. III, 47.

demissos qui castrarentur, eo liberarunt, ut ipsis et auctores essent fugae in Tauropolium firmissimum asylum, et die solenni instituto esculenta pro alimentis afferrent, donec Cnidii tandem appulsi custodibus Corinthiis remotis Corcyraeos salvos in patriam reduxerunt [1]. Ol. XLVIII thoracem ab Amaside rege Aegypti Lacedaemoniis muneri missum eripuerunt [2], ex quo optime cognoveris quam acri studio cum artem piraticam exercuerint, tum ipsam mercaturam, aut si mavis vel artem foverint.

## Caput Tertium.

### §. 1. Polycrates.

Lydorum primorumque regum Persicorum armis quod insulares essent intactos Samios mansisse, reliquis Ioniae urbibus quae in continenti erant iam externo imperio subiectis narrat Herodotus [3]. Sed libertatem eorum fregit Polycrates civis tyrannide suscepta, quum Cyrus in Asia rerum potiretur et Pisistratus Athenis dominatum teneret. Tempus autem accuratius constituturo multae et graves obiiciuntur difficultates, de quibus recentiores quidem rerum scriptores plane securi Polycratica tyrannide in Ol. LIX, 4 ponenda sibi satis fecisse videntur. Unus tamen Bentleius [4] hanc quaestionem dignam habuit in qua ingenium exerceret, simulque nobis viam aperuit quam utrum sequamur an relinquamus iam videndum erit. Bentleius enim circa Ol. LIII, 3 Polycraticae tyrannidis initium, Ol. LXIV, 1 finem statuit, ex Pythagoreae aetatis calculis computationem suam circa Polycratem deducens; quibus adiicitur Apollodori locus in Anaximandro Laertii. Sed ut loci qui de Pythagora agunt hoc unum docere videntur, post Ol. LIII, 3 tyrannidis initum nequaquam ponendum esse, ita locus de

1) Herod. III, 48. Plut. de malign. Herod. 2) Herod. III, 74. Plut. de malign. Herod. 3) L. I, 143, 151. Ubbo de Samiorum rep. 4) Resp. ad C. Boyle de aetate Pythag.

Anaximandro eo iam laborare recte dicatur, quod ἀκμή vix ad certum temporis spatium adstringi possit. Addidit Suidam v. Ἀνακρέων. Γέγονε κατὰ Πολυκράτην, τὸν Σάμου τύραννον ὀλυμπιάδι νβ᾽· cui tamen adversari putat alterum v. Ἴβυκος ὅτ᾽ αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατήρ· χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, ὀλυμπιὰς νδ᾽. Sed mutato πατήρ in ποιητής et posito, si vis, commate post Πολυκράτης, utriusque loci congruentia restituitur, neque in aulam Polycratis Anacreonte, Democede, multisque artificibus celebratam Ibycum Reginum tendere miror [1]). Cur autem non removetur Polycratis regnum ultra Ol. LIII, 3? Possunt tyrannidis XLII anni afferri, magnum temporis spatium: retenti Corcyraeorum iuvenes, raptus Lacedaemoniorum crater, et Amasidis thorax: quippe talia facinora Samios committere vix passus fuisset Polycrates. Primum enim magnam sibi vim comparaturus erat et ab insulis expugnandis incipiens eo usque processit ut Lacedaemoniorum sustinere posset bellum. Itaque nec contra Alyattem nec contra Periandrum, initio tyrannidis tam violenter sese gerere potuit, nisi bellum ipsi immineret eo periculosius, quo infestiores ipsius cognoverat sibi etiam esse cives [2]). Iam ad alterum numerum chronologicum constituendum progrediamur, quando Corcyraeorum iuvenes fugerint in Tauropolium Samiorum: Larcherus [3]) Ol. LIII, 3 statuit raptumque craterem Ol. LVI: de numero autem chronologico, qui Periandri regnum designat ab Ol. XLVI, 3—LIV, 1 haud cum Larchero qui veterum auctoritate illum confirmavit, litigabo, concedens etiam γενεήν quadraginta annos continere posse. At obest Plutarchus de malign. Herod. XXII, διὰ τοῦτο φησί (Ἡρόδοτος) συμπαροξῦναι Κορινθίους Λακεδαιμονίους κατ᾽ αὐτῶν ἔτεσιν οὐκ ὀλίγοις ὕστερον ἔγκλημα ποιησαμένους ὅτι τριακοσίους etc. καὶ ταῦτα μετὰ τρεῖς γενεάς.

---

1) Cf. p. 35, 36. 2) Volneius nimis sero Polycratem regnum affectasse perhibet Ol. LXI, 4. 3) Hist. d'Herod. T. III, p. 314 sqq. et T. VII, p. 537 et 538.

Dispiciamus tertium annum Ol. LIX, 1 quem exhibent plerique recentiorum scriptorum [1]). Secundum hos expeditio Lacedaemoniorum suscepta fuit Ol. LXII, 3, Periander iuvenes Alyatti misit Ol. LVI, 3, quo tempore uterque iam diem supremum obierat.

Quum harum trium computationum nullam satisfacere demonstratum sit, quomodo quaeso hasce turbas componemus? Accedit etiam nova difficultas, quum missi a Periandro iuvenes *κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον τοῦ κρητῆρος τῇ ἁρπαγῇ* ab Herodoto dicantur [2]): craterem scilicet a Lacedaemoniis missum Samii interceperunt, et anno post singularis operis thoracem ab Amaside Lacedaemoniis missum. Satis diligenter et accurate perspecta re hoc mihi eluxit, cum Bentleio initium tyrannidis Ol. LIII, 3 esse statuendum. Expeditionem autem Lacedaemoniorum versus finem Polycratis Ol. LXIII, 2 [3]) pono, et coniectura de loco Herodoteo allata aliquam et rerum et nominum congruentiam efficiam, maiorem certe quam quae hucusque exstitit. Immitto enim in Herodoti loco ante vocem *γενεῇ* litteram *γ'*, quae quum sequentis vocabuli faciat initium, eo facilius liberariorum oculos fugere poterat, et verba sic verto: „iniuria etiam hos Samii affecerant *tertia* aetate ante hanc expeditionem." Confirmatur haec sententia a Plutarcho de malignitate Herodoti, qui *μετὰ τρεῖς γενεὰς* habet, ubi vox *μετὰ* quae ex Herodoteo *πρότερον* originem traxisse censenda est, per *τρισὶ γενεαῖς ὕστερον* recte illustrabitur [4]). Neque iam Periandri iuvenes ad Alyattem missi Ol. XLVII, 3 chronologiae adversantur: neque discrepat accuratior temporis definitio, quam Herodotus verbis *κατὰ δὴ τὸν αὐτὸν χρόνον τοῦ κρητῆρος τῇ ἁρπαγῇ* addit. *Τρίτην* au-

---

1) Heeren hist. antiq. p. 204. 2) L. III, 47, 48. 3) Clem. Alex. Strom. I, p. 221. 4) cf. Herod. I, 165. *εἴκοσι ἔτεσι πρότερον.* Plut. Demosth. *ὕστερον δέκα ἔτεσιν.*

tem *γενεὴν* satis bene dicere poterat Herodotus temporis spatium quod sexaginta et aliquot annos tenebat, ut *πεντετηρίς* vocatur quattuor annorum, *τριετηρίς* duorum annorum [1]).

Aeaces tres habuit filios, Polycratem, Pantagnotum et Sylosonta [2]), inter quos quantum ex ipsius consiliis factisque colligere licet, Polycrates ingenio longe eminebat. Quum Samii post pompam ad templum Iunonis publicum sacrificium obituri arma deposuissent ad altaria, auctore Polycrate qui cum Sylosonte et Pantagnoto erant arma tenentes, singuli singulos adorti omnes deinceps trucidarunt. Polycrates interea, congregatis iis qui insidiarum participes erant, praeoccupat opportunissima loca, accurrentibus e templo fratribus cum armis, quibus in auxilium assumptis arcem munit Astypalaeam, accersitis a Lygdamide Naxiorum tyranno militibus, atque sic imperium Samiorum obtinet [3]). Primum quidem civitatem trifariam divisit, Astypalaea sibi vindicata, Chesia et Aeschrionia tribu fratribus concessa [4]). Sed haud ita multo post altero interfecto alterum minorem natu civitate expulit, ut totum ad se rediret imperium. Dein molitus consilia firmandae et augendae potentiae recens usurpatae, hospitium cum Amaside donis illi missis aliisque receptis contraxit. Intra breve tempus res Polycratis mirum in modum creverunt per Ioniam ceteramque Graeciam celebratae, quippe qui tam dextera uteretur fortuna, ut quocunque bella intenderet omnia bene ei succederent. Neque hac in re Herodoto fides deneganda videtur, quum etiam Thucydides, Strabo, ceterique scriptores confirment sub Polycratis

1) Quod etiam ap. Latinos et Francogallos, ubi dicunt quindecim dies, quinze jours, quattuordecim dies significantes, et apud nostrates in voc. acht Tage, ubi septem tantummodo dies numerantur, usu venire solet. 2) Herod. III, 39. Euseb. Chron. Ol. LXII. 3) Polyaen. I, 23, 2. 4) Etym. M. v. Ἀστυπ. Herod. III, 39. Cf. Cap. V, §. 5.

cratis imperio Samiorum rempublicam maxime viguisse et valuisse. Centum navibus quinquaginta remorum et mille sagittariis instructum fuisse narrat Herodotus [1]), qui tamen iusto minorem numerum prodidit si conferas quae ipse [2]) de Samiorum proelio pedestri cum Lacedaemoniis commisso refert. Quo enim cum classe infestans accesserat, ibi omnia ferre et agere solebat. Ita enim idque recte sentiebat Polycrates, amico gratius se facturum reddendo quae abstulerat quam si nunquam abstulisset [3]). Permultas insulas cepit et multa continentis oppida. Simul etiam Lesbios qui cum toto exercitu accurrebant Milesiis, mari devicit, victosque totam fossam moenia Sami ambientem fodere iussit. Unus est locus ap. Schol. ad Aristoph. Plut. v. 1075 de hac re memorandus, ubi Polycrates cum Milesiis quibus omnes conatus prospere evenerant foedus icturus, hac de re Apollinem consulere dicitur. Responsum est *πάλαι πότ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι* [4]). olim fuerunt fortes Milesii, quo quidem Pythio oraculo a foederis ineundi consilio averti videbatur. Milesiis bellum non foedus inferendum tum constituisse Polycratem eo facilius putaveris, quo magis ad hanc expeditionem suscipiendam clade quam Samii a Milesiis aliquot abhinc annis perpessi erant, eadem iam illis retribuenda incitabatur. Eam circa Ol. LVI ponendam puto, quippe Lacedaemoniorum expeditioni res a Polycrate fortiter gestae quarum hactenus mentio est facta, antecesserunt. Hoc ipso tempore literas ab Amaside Aegyptiorum rege Polycrates accepit [5]), quibus ille amicitiam hospitiumque propterea ipsi renuntiabat, quod provideret ex hac nimia felicitate ob Deorum invidiam multa magnaque Polycrati ortura mala, simulque addebat ut quod esset dilectissimum hoc ipsum abiiceret ne in hominum conspectum ultra veniret. Polycrates

---

1) Herod. III, 39. 2) Herod. III, 45. 3) Herod. l. c. Polyaen. I, 23, 1. 4) cf. v. 1003. Philostrat. de Soph. p. 527. Synest. Ep. 80. Beck Commment in Aristoph. Plut. p. 538. 5) Herod. III, 40.

hisce litteris lectis et recte sentire Amasidem sibi persuadens, amici consilium exsecutus est proiiciendae in mare pretiosissimae illius quam Theodorus Samius artifex fecisse dicitur sphragidis, cuius fatorum accurata narratione eo facilius supersedebimus, quo saepius et apud antiquos [1]) et apud recentiores vel in puerorum bucca circumfertur. Quum autem Polycrates amici auctoritate obsecutus fortuna dextra annulum recepisset: Amasis tamen foedus hospitiumque solvendum duxit, quippe qui Polycrate rebus adversis oppresso ipse affligi nollet. Diodoro tamen [2]) causam ruptae societatis aliquantum veriorem afferenti contra Herodotum accedimus. Polycratem enim quum et in cives crudeliter sese gessisset et in peregrinos qui Samum contendebant, primum Amasis per legatos ut sibi temperaret cohortatus est: neglectis cohortationibus soluta est quae prius inter eos intercesserat amicitia. Nihilominus tamen sub hoc tempus bellum contra Cyrum Persarum regem et grave et diuturnum feliciter gessit, a Pseudopythagora in libro *περὶ τοῦ πολέμου Κύρου καὶ Σαμίων* deperdito accuratius descriptum [3]). In ipsa vero insula vix gestum putaverim, etiamsi incendium templi Iunonis quod Persarum furori tum temporis tribuitur [4]), hoc ipsum probare videatur. In agro quem apud Prienenses Samii tenuerunt, decertatum esse dixerim, quia Cyro deerant naves ideoque Phocaeenses prudenter relicta urbe cum sacris — Minervae templum incendio absumptum legimus — Chium confugiebant. Militum autem qui in bello interiissent matres locupletioribus civibus nutriendas tradidit Polycrates [5]), neque

fr. hist. gr. III 481

---

1) Herod. III, 42. Strab. XIV, p. 438. Plin. H. N. XXXIII, s. 6. Cic. de fin. V, p. 234. Valer. Maxim. VI, 9. p. 327. Tzetz. Chiliad. VII, 205. Galen. Tom. II. suasor. c. 4, p. 5. Eustath. ad Dionys. v. 534. 2) L. I, 95. §. 70. 3) Cedrenus ap. Menag. Observat. ad Diog. L. Pythag. VIII, 38. Herod. I, 140. sqq. Thucyd. I, 13. Heyne N. Comm. Soc. Gott. T. II, a. CIϽIϽCCLXXI. 4) Pausan. VII, 5. 5) Erasm. Adag. *Πολυκρ. μητέρα νέμει.*

omnino rebus domesticis minorem quam bellicis curam impendit, sed ad urbem ornandam multa contulisse perhibetur. Horum maximam partem in hoc tempus incidere eo facilius credendum est, quo propius ad veritatem accedit quod potentia foris stabilita domi res ornentur et amplificentur. Cleitus Aristotelicus in libro de Mileto [1]) refert Polycratem Sami tyrannum prae luxu quidquid esset ubique nobile ac clarum coegisse, ex Epiro canes, capras e Scyro [2]) oves ac pecus e Mileto, sues e Sicilia, suffragante Alexide libro tertio Samiorum Annalium [3]). Accibat Polycrates, teste eodem Alexide, artifices multa mercede.

Appuleius [4]) in Iunonis fano ante aram Bathylli statuae a Polycrate tyranno dicatae mentionem satis accuratam facit, qua statua nihil se dicit elaboratius cognovisse. Sed de his infra ubi de arte prolixius disputabitur. Antequam tyrannidem sibi vindicaret, sumptuosos lectos faciendos curavit ac pocula quae utenda dabat si quis aut per nuptias epularetur aut apparatu lautiore amicos vel hospites exciperet, qua quidem via auram popularem captare studebat. Neque tamen errat Aristot. Polit. V, 9. §. 4. *καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἄρχοντας τυραννικὸν, ὅπως ἥτε φυλακὴ τρέφηται καὶ πρὸς τῷ καθημέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν· παράδειγμα δὲ τούτου τῶν περὶ Σάμον ἔργα Πολυκράτεια.* Quae quidem Polycratis opera, non eadem atque tria illa miratu dignissima apud Herodotum nominata [5]), esse arbitramur: imo fossam quae moenia Sami ambibat eo certissime referendam evincit Herodotus. Addi possunt Laura angiportus pluraque alia. Primum Polycratem quas naves aedificasset a patria Samias appellasse iam supra monuimus [6]). De ipsius consuetudine

---

1) Athen. XII, p. 540. D. 2) De capris Scyriis cf. Boeckh., in Fr. Pind. T. II. Vol. II. p. 599. 3) Athen. l. c. 4) Florid. II, p. 15. 5) L. III, 60. 6) Plut. Pericl. XXVI. Suid. v. *Σαμαίνα.* Alexis ap. Athen. XII, p. 540. D.

cum Anacreonte praeter alios [1]) unum Strabonem afferamus [2]), τούτῳ συνεβίωσεν Ἀνακρέων ὁ μελοποιὸς καὶ δὴ καὶ πᾶσα ἡ ποίησις πλήρης ἐστὶ τῆς περὶ αὐτοῦ μνήμης. Ibycum Reginum lyricum poetam migrasse Samum perque aliquot annos apud Polycratem degisse docet Suidas [3]). Democedes Crotoniates qui hac aetate arte medica prae ceteris floruit, a Polycrate duorum talentorum salarium pro uno anno quem Sami versabatur, accepit [4]). Idem etiam tyrannum in itinere ad Oroetem de quo postea erit dicendum, comitatus [5]), in amicorum numerum ab Herodoto recensetur. Libris coacervandis nobilem praedicat Polycratem Athenaeus [6]).

Ol. LXI, 3 Arcesilaus III Cyrenaeorum rex non ferens instituta Demonactis recentis illius civitatis correctoris, expulsus Samum profugit exercituque ibi coacto regnum recepit [7]).

Postquam Cambysis tempore re nautica validus alias subiecisset insulas, Rheneam captam Apollini Delio consecravit perque pontem cum Delo iunxit [8]). Constitutis tunc apud Delum ludis pulcherrimis, Delphos misit consulturos utrum oporteret eos ludos Delios an Pythios appellare. Respondit oraculum ταῦτα σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια, futurum innuens ut mox excederet e vita [9]). Circa idem fere tempus Ol. LXII, 3 bellum Lacedaemoniorum in Samios exoritur, cuius variae afferuntur causae. Dum Cambyses Cyri filius adversus Aegyptum exercitum parat, ad Polycratem, ipso tyranno auctore, legatos mittit qui nauticas copias auxiliarias ab ipso peterent. Polycrates quos maxime suspicabatur rebus novis studere delectos quadraginta triremibus misit Cambysi mandans ne retro eos dimitteret. Alii qui-

1) Herod. III, 121. Athen. l. c. Pausan. I, 2. Aelian. var. hist. XII, 25. IX, 5. 2) L. XIV, p. 438. 3) v. Ἴβυκος. 4) Herod. III, 131. 5) Herod. III, 125. 6) L. I, p. 3. A. 7) Herod. IV, 162, 163, 164. 8) Thucyd. I, 14. III, 104. 9) Phot. v. Πύθια καὶ Δήλια. Erasm. Adag. et Suid. Πύθ. κ. Δήλ.

dem negant Samios a Polycrate missos Aegyptum pervenisse, sed in Carpathio mari decrevisse ultra non navigare. Alii vero sunt auctores advenisse quidem in Aegypto, sed custodes inde effugisse; Samum redeuntibus Polycratem obviam factum pugna cum iis commissa navali inferiorem fuisse ita ut insulam intrarent. Sed alterum idque terrestre proelium fecisse Polycratem, quo devicti Lacedaemonem confugerunt. Neque alii recte Samiis victoriae palmam tribuunt, quum vix opus fuisset auxilium petere a Lacedaemoniis, si ipsi satis iam validi essent ad tyranni imperium frangendum. Accedit et hoc, haud facile fieri potuisse ut qui auxiliarios, mercenarios et sagittarios suos haberet permultos, a redeuntibus Samiis numero longe paucioribus vinceretur. Commemorandus etiam est ipsius praevidus et cautus animus qui omnium civium liberos uxoresque in navalibus congregatos tenebat, paratus si qua ipsum Samiis redeuntibus proderent, ut homines una cum neosoecis incendio deleret [1]). Postquam Samii a Polycrate exacti Lacedaemonem venerunt, introducti ad principes multa sane ut supplices commemorabant. Quibus Cleomenes Anaxandridis filius primo congressu respondit: Eorum quidem quae initio dixistis oblitus sum, quapropter nec mediam orationem intelligo neque totam perpendo [2]). Secundo deinde congressu nihil isti dixerunt nisi allato panario illud pane indigere. Quibus principes responderunt, panario haud opus fuisse, et auxilium ferendum censuerunt. Pecuniarum auxilium mira via nacti sunt Samii exules, decreto, ut omnes Lacedaemonii per unum diem et ipsi et servi et animalia quibus utebantur omni victu abstinerent, cuius quidem sumptus Samiis dono sunt dati [3]). Postea autem instructi Lacedaemonii cum

---

1) Herod. III, 44. Anacreon fr. *MZ* ed. Fisch. Eustath. ad Odyss. φ p. 1901, 44. Rom. 2) Herod. III, 46. Plut. Lacon. apophth. p. 212 et p. 236. ed. Hutten. 3) Aristot. Oecon. II, 9.

exercitu in Samum se contulere referendae gratiae causa, ut Samii aiunt, propter auxilium in bello Messeniaco ipsis praestitum: ut Lacedaemonii vero aiunt, non tam ut tutarentur precantes Samios militavisse, quam ut ulciscerentur rapinam crateris et thoracis [1]). In hanc rem iure disputat Plutarchus [2]), exemplis confirmans omnium civitatum nullam tunc temporis adeo gloriae cupidam tyrannidique infensam extitisse quam Lacedaemonios. Nihilominus a vero discrepat causa ab Herodoto allata, cur Corinthii admodum prompte hanc Lacedaemoniorum expeditionem adiuverint. Nam iniuria illa Corinthiis eo illata, quod Samii Corcyraeorum iuvenes neque fame perire neque castratum abire passi sunt, vix idoneam causam Corinthiis subministrare potuit, ut post tertiam aetatem tanquam iniuria affecti bello inferendo poenas repeterent. Maxime autem quid hoc est poenarum quas Samii darent Corinthiis? Si enim profecto in Samios ira ardebant, Lacedaemonios debebant non movere sed arcere quominus Polycrati bellum inferrent, quippe sic tyranno sublato Samii libertatem sibi vindicabant. Praeterea quid erat quod Corinthii Samiis irascerentur, qui Corcyraeorum iuvenes liberare volebant non liberaverant, Cnidios autem qui eos liberos reddiderunt haud accusarent? Neque sane Corcyraei magnam Samiorum habuerunt rationem, maximam vero Cnidiorum quibus etiam honores, immunitates et suffragia apud ipsos concesserunt. Cnidii enim appulsi custodes templo eiecerunt et pueros Corcyram salvos reduxerunt [3]).

Lacedaemonii ingenti cum classe ubi Samum pervenerunt, urbem obsederunt succedentesque muro turrem mari imminentem in suburbio transcenderunt. Sed mox ipso Polycrate magna cum manu suppetias ferente, reiecti sunt [4]). Quum

1) Herod. III, 47. 2) De malign. Herod. 3) Plut. de malign. Herod. 4) Herod. III, 54, 55.

vero a superiori turri quae tergo Ampeli innititur, erupissent tum auxiliarii, tum ipsorum Samiorum permulti, Lacedaemoniosque aliquantisper sustinuissent, retro fugam fecerunt insequentique ab hoste caedebantur, ita ut si Lacedaemonii Archiae et Lycopae similes exstitissent, eo die capta Samus fuisset. Archias enim et Lycopas soli cum Samiis intra murum simul irruentes, interclusa ad redeundum via, intra urbem occubuerunt et publica a Samiis ornati sunt sepultura [1]). Qua quidem re Plutarchus tanquam argumento utitur, Lacedaemonios haud poenas sumpturos a Samiis sed tyrannidem sublaturos hanc suscepisse expeditionem. Mihi tamen nihil inde colligi posse videtur, quum et hoc affirmari queat, si bellum ad Polycratis tyrannidem delendam spectasset, vix Polycratem hanc publicam sepulturam hostium concessisse dum summam imperii teneret. Quapropter satius erit in aliquo pietatis sensu acquiescere, virtutem in ipso hoste aestimari et celebrari. Lacedaemonii quadraginta diebus obsidio consumptis, quum res eorum non processissent, in Peloponnesum redierunt. Fertur Polycrates magnum nummorum numerum e plumbo cudisse eosque auro induxisse ac Lacedaemoniis dedisse, quibus acceptis illi reverterunt. Hanc primam expeditionem Lacedaemonii in Asiam susceperunt. Samii qui Polycrati bellum intulerant, postquam a Lacedaemoniis se relictos vident, et ipsi transmiserunt in Siphnum, quia pecunia deficiebantur, Siphniorum contra res ea tempestate vigebant, inter insulares locupletissimorum. Missi ad eos legati ut decem sibi talenta mutuarentur rogabant. Negantibus Siphniis Samii eorum agros populabantur, commissaque cum Siphniis accurrentibus pugna victores evaserunt et multis incolis ab urbe interclusis, centum tandem talenta exegerunt. Ab Hermionensibus insulam Samii pecuniae loco acceperunt Hydream

1) Herod. III, 56, 57.

Peloponneso adiacentem, quam Troezeniis obligaverunt: ipsi Cydoniam in Creta condiderunt, Zacynthios insula expulsuri odio Ionum et Achaeorum inveterato accensi [1]). Degebant in Cydonia circa quinque annos, sexto anno ab Aeginetis mari devicti in servitutem rediguntur cum Cretensibus. Quod quidem Aeginetarum bellum si vere ex antiquiore illa quam Samii sub Amphicrate Aeginetis intulerant clade profectum dicatur, de bello mercatorio quod etiam in exules non quievit, hic agi optime animadvertit Müllerus [2]). Iam redeamus ad Polycratem. Huic enim obtulit quum Cambyses morbo laboraret [3]), Oroetes Sardibus praefectus auxilium et pecunias ad imperium totius Graeciae sibi vindicandum idque variis de causis. Praeter narrationem de Mitrobate praefecto, qui exprobrando Oroeti, quod Samum insulam suae provinciae adiacentem regi haud acquisivisset, quam quidem unus e popularibus quindecim armatis fretus occupasset, occupatamque teneret, calcar iniecerit vindictae de Polycrate sumendae, praeter hanc inquam narrationem duae extant aliae, altera Oroetem lacessitum, quod tyrannus unum ex ipsius caduceatoribus minus bene excepisset, neque apte ad rogata respondisset [4]), tertia a Lydis qui Oroetis gravius imperium effugientes in Samum magna cum pecunia se receperunt, ortum esse hoc consilium poenarum repetendarum, quippe quos initio satis humana mente exceperat, haud ita multo post interfecit interfectorumque pecunia potitus est [5]). Hic igitur Oroetes in urbe Magnesia degens quae est supra Maeandrum fluvium sita, Polycrati iratus, Myrsum Lydum, Gygis filium, cum nuncio in Samum ad Polycratem cuius animum noverat misit. Obtulit Polycrati quem Ioniae atque insulis

1) Müller. Aegin. p. 113. 2) Aegin. p. 68. 3) Herod. III, 120. 4) Herod. III, 121. 5) Diod. Sic. de virt. et vit. VII, p. 557.

dominandi cupiditate flagrare audierat, quantum sufficeret pecuniarum ad haec consilia exsequenda, simulque ipsum a Cambyse capitis damnatum ut reciperet quaesivit, quibus dictis minorem si fidem haberet, mitteret unum ex fidissimis cui hasce pecunias exhibiturus esset Oroetes. Maeandrio scribae a Polycrate delegato ostendit Oroetes callidissimus octo arcas lapidibus impletas, circa ipsas autem oras et in superficie auro obtectas. Renuntiante Maeandrio quantum vidisset divitiarum, Polycrates dehortantibus multum vatibus, multum quoque amicis, profectus illuc est, quamvis et hoc accessisset, quod filia in somnio vidisset Polycratem in aëre suspensum a Iove lavari et a Sole ungui [1]), et propterea ad navem quinquaginta remorum eunti male ominaretur. Cui quum ille responderet, si sospes rediret fore ut diu maneret virgo, ipsa ut hoc sibi contingeret optavit. Polycrates igitur spreta omnium qui dissuadebant auctoritate, ad Oroetem navi contendit, comitantibus pluribus amicis, in his et Democede medico peritissimo, Magnesiamque ingressus turpiter periit Ol. LXIV, 1 ab Oroete cruci affixus [2]). Samios quos secum duxerat Polycrates, domum remisit Oroetes, iubens eos gratiam sibi habere quod liberi essent; peregrinos autem atque servos eorum qui comites fuerant, mancipia sibi vindicans retinuit. Neque tamen multo post poenas ab Oroete petierunt Polycratis manes, de quo et filiae somnium et Amasidis praesagia et Pythiae vaticinia haud irrita apparuerunt. Antequam hunc virum relinquamus, nonnulla iam de ipsius vi quam in rempublicam exercuit, nec non de animi indole erunt attingenda. Herodotus [3]) *τῆς δὲ ἀνθρωπηΐης* inquit *λεγομένης γενεῆς Πολυκράτης ἐστὶ πρῶτος ἐλπίδας*

---

1) Herod. III, 124. Philo Iud. ap. Euseb. VIII, 73. 2) Herod. III, 125. Athen. XII, p. 522. B. Strab. XIV, p. 438. Eustath. ad Dionys. v. 534. Plin. H. N. XXXIII, s. 6. 3) L. III, 122, cf. Wessel, ad h. l.

πολλὰς ἔχων Ἰωνίης τε καὶ νήσων ἄρξειν. Thucydidi [1]) dicitur insulas sibi subiecisse ναυτικῷ ἰσχύων, Straboni [2]) fuisse δυνάμει λαμπρὸς ὥστε καὶ θαλαττοκρατῆσαι, Eustathio [3]) οὐ φαύλως τυραννῆσαι. Praeter incrementa quae foris Samiorum respublica sub Polycrate cepit, quam bene tyrannus de litteris et artibus, deque statu civili meruerit, iam supra maximam partem commemoravimus. Superest unus de eius moribus locus apud Alexidem libro tertio Annalium [4]), qui relatis pluribus ornamentis quibus Polycrates urbem auxit, sic pergit: ob haec omnia mirari par est tyrannum eum, quem nusquam legimus alienas uxores puerosve ad stuprum et libidinem accersivisse, quamvis mascula venere ad stuporem usque et insaniam exardesceret, adeo ut in amando puero Anacreontis poetae aemulus fuerit, iraque incensus amasii comam detonderit [5]). Sed haec ut multa alia, modum veri excedere videntur, et quamvis ille mollitiem et luxum, ut Alexander aliique summi viri, versus vitae finem adamaverit, satis tamen clare elucet, antequam hunc gradum potentiae et dominationis ascendisset, vix potuisse iis rebus ita deditum esse, uti auctor est Alexis. Sed habent tales scriptores aliquam cum illis pictoribus similitudinem, qui in arte etiam satis rudes, quo pinguiores tabulae infundant colorem, eo praestantiorem reddituri sibi videntur picturam. Est enim moris his scriptoribus, augere omnia quum virtutes tum vitia hominum, et habita veri ratione nulla, poetico quodam colore res gestas depingere: eundem et hoc loco secuti sunt, quum neque finem quem Herodotus testatur vitae Poly-

---

1) L. I, 13. 2) L. XIV, p. 945. B. cf. Euseb. Chron. Ol. LXII maris imperium Samii tenuerunt. 3) Ad Dionys. Perieg. v. 534. 4) Athen. XII, p. 540. D. 5) Haec res de Anacreonte et Bathyllo Samio, Polycratis puero, accuratissime enarrata legitur apud Aelian. var. hist. IX, 5 et praeter hunc Athenaei locum in Appulei. Florid. II, 15. Horat. Epod. XIV, 9 commemoratur.

cratis probarent, sed alium fingerent quem tradit Clearchus [1]), Polycratem scilicet delicatae Sami tyrannum ob insolentiam et petulantiam periisse, cum Lydorum mollitiem et lautitias imitaretur.

Ut rem paucis absolvamus, si virtutes cum ipsius fortissimo et prudentissimo animo, aliquantum quidem minus iusto, sed finem suum constanter persequenti coniungantur, omnino intra veritatis fines coercetur iudicium quod Herodotus [2]) de eo fert: *διεφθάρη κακῶς οὔτε ἑωϋτοῦ ἀξίως οὔτε τῶν ἑωϋτου φρονημάτων· ὅτι γὰρ μὴ οἱ Συρηκουσίων γενόμενοι τύραννοι, οὐδὲ εἷς τῶν ἄλλων Ἑλληνικῶν τυράννων ἄξιός ἐστι Πολυκράτεϊ μεγαλοπρεπείην συμβληθῆναι.*

§. 2. Maeandrius.

Polycrate interfecto Sami imperium obtinuit Maeandrius Maeandri filius, procurator a Polycrate constitutus. Hic ubi Polycratis necem audivit, ut iustissimi speciem hominis exhiberet, statuto in honorem Iovis Liberatoris sacro [3]),× in civium concione de Polycratis imperio quo viri sibi pares premebantur questus, imperio in medium prolato *ἰσονομίαν* pronuntiat, nihil sibi expetens praeter sex talenta e Polycratis opibus et Iovis Liberatoris sacerdotium posteris suis semper curandum. At Samiorum detrectantium libertatem quae pactio esset servitutis unus Telesarchus nomine surrexit [4]), et illum ne dignum quidem habuit, qui Samiis imperaret, quum ignobili genere natus ipse impius esset: rationem vero daret pecuniae commissae. Maeandrius apud se volvens, ipse imperium si reiiceret, alium in ipsius locum tyrannum suffectum iri, a consilio destitit. Sed ubi ad acropolin redit, unumquemque civium arcessivit tanquam pecuniae rationem daturus, revera autem adversarios in

1) Ap. Athen. XII, p. 540. D. 2) L. III, 125. 3) Herod. III, 142. 4) Herod. III, 143.

× [illegible]
Diod. XI, 72 [illegible]

vincula coniecit. Interfecit eos Lycaretus frater [1]), quum Maeandrius morbo laboraret, ut rem Samicam facilius obtineret. In hoc tempus cadit Persarum invasio cuius iam narranda est causa. Cambyse in Aegyptum expeditionem suscipiente, et multi eo profecti sunt Graeci, et Syloson Aeacis filius, Polycratis frater, Samo profugus. Quem cum vidisset splendida chlamyde indutum Darius unus e satellitibus Cambysis, oravit ut pecunia soluta hanc ipsi concederet. Quasi divinitus recusatis Syloson nummis donum Dario obtulit, neque huius doni unquam poenituit; quippe a Dario qui Persarum rex evasit, officio pristino in memoriam revocato Ol. LXIV, 3 hoc impetravit, ut Otanem ducem cum exercitu delegaret ut quidquid peteret Syloson, omne exsequeretur, Syloson autem patriam citra caedem atque direptionem a Dario repetiit [2]). Persae cum Samum accessissent Sylosontem reducentes, nemo ipsis resistebat: imo Maeandrius insula abire et qui ab ipsius parte stabant se paratos esse ad se submittendum data fide dixerunt. Sic foedere cum Otane inito, primores Persarum dum tranquille e regione arcis sedent genioque indulgent, Charilaus frater paululum vecordior qui in subterraneo conditus latebat, colloquium cum Maeandrio sibi expetit. Iure eum provocat ut impetum faceret in Persas eum expulsuros adeoque faciles captu; quodsi ille timore teneretur, ipsum comparatis auxiliariis Persas ob adventum ulturum profitetur. In fratris sententiam ivit Maeandrius, non tam quod vires suas regiis superiores putabat, quam quod Sylosonti invideret civitatem integram sine labore accepturo. Irritatis igitur Persis maluit res Samias debilitare atque dein tradere. Ipse autem

---

1) Posthac Persae eum Lemniorum insulae praefecerunt. v. Herod. V, 27. 2) Herod. III, 140, 141. Strab. XIV, p. 438. Aelian. var, hist. IV, 5. Valer. Maxim. VII. Eustath ad Dionys. v. 534. Suid. v. χλαμύς.

Maeandrius per cuniculum qui ex arce ad mare ferebat, Spartam profugit [1]), et quantas res aureas et argenteas secum habebat, Cleomeni Lacedaemoniorum regi ostendit dona quotquot vellet ipsi largiens, ut auxilium Lacedaemonii contra Sylosontem ferrent. At Cleomenes neque ipse quidquam accepit, neque alios accipere passus est, sed postquam et ceteris Lacedaemoniis a Maeandrio res pretiosissimas offerri audiisset, ab Ephoris impetravit ut Samum abire Maeandrium iuberent, ne cui Lacedaemoniorum malum fieri persuaderet. Inter haec Charilaus instructis cunctis auxiliariis patefactisque portis egreditur in Persas, qui nihil eiusmodi expectantes omnia composita esse arbitrabantur. Hos igitur qui summos honores tuebantur, dato impetu milites occiderunt. Sed repelluntur in arcem Samii duce Charilao a ceteris Persarum copiis qui accurrerant. Otanes dux ubi tantam suis illatam videt cladem, immemor praeceptorum quae Darius eum mittens dederat, iubet milites, quemcunque Samiorum offenderent, occidere sive virum sive puerum. Tunc pars copiarum arcem obsidet, pars obvium quemque sine discrimine trucidat tam in delubro quam extra delubrum. Persae ubi occupavere Samum, Sylosonti tradiderunt viris desolatam. Hac via

§. 3. Syloson.

Ol. LXV imperium de Samo obtinuit, sed insula incolarum frequentiam omnino desiderabat [2]). Unde proverbium natum *ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη*, Sylosontis causa Samus vacuis locis abundat. Strabo quidem et Eustathius l. c. asperum ingenio Sylosontem durius pressisse civitatem narrant ut mox civibus deficeret, indeque prover-

---

1) Herod. III, 148. Plut Lacon. apophthegm. p. 214. Aelian. var. hist. XII, 53. 2) Herod. III, 149. Strab. XIV, p. 438. Heracl. Pont. Polit. X. Eustath. ad Dionys. v. 534.

bii vim interpretantur. Sed calculum adiecerim priori interpretationi, etiamsi negari nequeat Sylosontis imperium extitisse aliquanto acerbius, fortasse quod in Darii amici fide magnum momentum poneret. Decreverat autem civium multitudo per tempora illa satis adversa eo usque, ut servis, qui stateres civitati solvere possent quinque, civitas daretur [1]). Miram addit Herodotus, ubi de Otanis in Samios crudelitate loquitur, narrationem, vacuefactam insulam postea Otanem incolis frequentem reddidisse somnio et morbo incitatum: sed quo tempore haec ponenda sint coniectura tantum assequi licet. Pertinet fortasse ad Ol. LXVII, quo tempore Otanes Megabazo suffectus Byzantium, Chalcedonem, Antandrum, Lemnum occuparat, ita ut ex his civitatibus, maxime de insulis dixerim, civium partem Samum abire iusserit. Finem imperii Sylosontis haud certum definierim, quum nullum huius rei apud veteres supersit indicium, etiamsi rectius fortasse collegeris, haud diu hominem aetate nimis provectum imperium tenere potuisse, ita ut exeunte Ol. LXV obiisse videatur. Mortuum Sylosontem excepit

§. 4. Aeaces.

eius filius Ol. LXVI, quo regnante Ionum motus contra Persas extiterunt. Huius mentio primum fit apud Herodotum [2]), qui stetisse eum refert ab Histiaei Milesii partibus pro Darii imperio verba facientis, ut pons regi custodiretur ultra ab Ionibus; neque imprudenter sensit Aeaces, Darii imperio diruto omnes civitates democratiam fore instituturas. Sed vim et consilia ipsius fracta videbis Samiorum sensu libertatis, qui eos ad con-

1) Aristot. *Σαμ. Πολ.* ap. Suid. v. *Σαμ. ὁ δῆμος*. Quum de servis agatur, stateres haud videntur aurei intelligendi, quos quidem saepissime usu venisse constat, sed argentei. Ceterum cave colligas ex l. l. civitatis nanciscendae hoc semper fuisse pretium servis emancipari cupientibus. 2) L. IV, 138.

socianda arma ceteris cum Ionibus suscitavit, Ol. LXIX, 3. Cum enim Aristagoras Milesius et ipse a rege descivisset, et omnibus in civitatibus democratiam instituendam curasset, Aeaces sicut ceteri Ioniae tyranni, imperio pulsus ad Darium Ol. LXX, 1 confugit [1]). In proelio ad Cyprum terra marique ab Ionum classe duce Artybio contra Persarum copias terrestres et navales commisso, Iones classem hostium vicerunt, inque his Samii maxime inclaruerunt fortitudine et virtute bellica, Cyprii contra a terrestri Persarum exercitu profligati sunt Ol. LXX, 3 [2]). Neque cum Persarum duces copiis in unum collectis Miletum terra marique adgrederentur, Samii in classe triremium trecentarum quinquaginta trium ad Ladam coacta desiderantur, qui *τελευταῖοι ἐτάσσοντο ἔχοντες τὸ πρὸς ἑσπέρην κέρας, ἑξήκοντα νηυσί* Ol. LXXI, 3 [3]). Sed cum Iones Dionysio auctore per aliquot dies ad pugnam strenue sese exercuissent, mox laboris impatientes ad desidiam laberentur, Aeacis callida mens Samiorum duces permovit, ut belli exitum providentes relicto Ionum foedere cum Persis clam paciscerentur, sacra et privata ipsorum intacta inviolataque manerent [4]). Quum igitur Phoenices cum navibus ad proelium accederent, Samii ex pacto cum Aeace acie deserta Samum aufugerunt, undecim navibus exceptis, quarum trierarchi neque pugna cesserunt, neque dicto ducum qui aliud volebant audientes fuerunt [5]). Quare Samiorum civitas statuam ipsis ut viris virtute insignibus collocavit, cui inscriptum erat quam bene de republica meruissent [6]). Samiis enim qui in republica alicuius momenti erant, ducum nulla ex parte placebat facinus. Visum igitur est parti Samiorum, statim antequam Aeaces tyrannus in Samum rediret, coloniam deducere in

---

1) Herod. VI, 13. 2) Herod. V, 112. 3) Herod. VII, 8. 4) Herod. VI, 13. 5) Herod. VI, 14. et Schweigh. ad h. l. Pausan. VII, 10. 6) Herod. l. c.

*Καλὴν Ἀκτήν* neque Persarum et Aeacis iugum subire [1]). Post pugnam navalem Darius rursum Sami obtinuit imperium [2]), quo iubente Phoenices Aeacem Sylosontis filium Samum reduxerunt, quippe qui bene apud eos meruisset magnaque beneficia ipsis praestitisset. Ita Samiis solis omnium qui a Dario defecerant, quod naves proelium deseruerant, neque urbs neque sacra incensa sunt. Aeacis autem dominatum Mardonius Ol. LXXII sustulisse videtur populari statu in Ioniae civitates revocato, cum Europam peteret Eretriae et Athenis bellum illaturus [3]). Qui postea in ipsius locum suffecti sunt Datis et Artaphernes, Samo profecti per mare Icarium recta in Graeciam tendunt. Samios huic primo bello Persico interfuisse Datis imperio subditos ex Herodoto [4]) demonstrari poterit. Ad secundam expeditionem Persicam quam Xerxes suscepit, Iones cum Chiis et Samiis centum naves miserunt, ita quidem ut homines armis instructi et remiges ab ipsis, naves vero a rege pararentur [5]). Sed ante hanc pugnam Salaminiam Ionum duces veterem patriae et libertatis amorem denuo comprobaverunt misso ad Graecorum exercitum Samio, qui regis iussa universamque rerum dispositionem et ipsos barbarorum aciem pugna conserta relicturos nuntiaret [6]). Sed ut in pugna ad Ladam ducum sententia a populari longe discrepabat, ita et hic duces nonnullos aliter de patria deque libertate cogitasse videmus. Theomestor enim Androdamantis filius et Phylacus Histiaei filius uterque Samius in ipsa pugna Graecorum naves ceperunt, et propterea Phylacus *εὐεργέτης βασιλῆος ἀνεγράφη*, qui homines apud Persas *ὀροσάγγαι* audiunt, multamque terram dono accepit, alter

§. 5.

1) Herod. VI, 22. 2) Aeschyl. Pers. v. 384. 3) Herod. VI, 43. 4) L. VI, 98. 5) Diod. Sic. XI, 3. 6) Diod. Sic. XI, 17: de navi Teniorum refert; Herod. VIII, 82. cf. Polyaen. strat. I, 30, 6.

## §. 5. Theomestor.

Sami tyrannus a Persis constitutus est [1]). Iterum igitur libertatem sibi vindicaturi Samii successu carebant, tyrannidemque satis iam invisam a Persis sibi illatam lugebant. Diuturno autem dominatu Theomestor haud gavisus est, secundo anno post, desciscentibus Samiis iterum a Persis Ol. LXXV, 2 Samum relinquere coactus. Nam postquam classis Persarum Cumae partimque Sami hibernarat, vere ineunte, Ol. LXXV, 2 ad Samum tota colligitur, in Ioniam ne deficeret intenta [2]). Dum Graeci Leotychida duce ad Aeginam coguntur, a legatis Ionum provocantur ut Ioniae liberandae animum adiiciant [3]). Sed nihil profecerunt legati Graecos vix ad Delum usque producentes. Ultra enim proficisci timebant et viarum ignari, et ceteram terram copiis hostium impletam rati. Samus autem haud propius abesse illis videbatur quam Herculis columnae [4]). Samii tamen haud defessi iterum, insciis Persis et Theomestore tyranno, legatos Lamponem Thrasyclis filium, Athenagoram Archestratidae filium et Hegesistratum miserunt ad Graecos qui Leotychida duce in Delo sedebant [5]). Hegesistratus habita oratione Iones confirmavit, quum primum eos viderent, a Persis defecturos, neque Persas restituros; caverent ne haec praeda ipsis eriperetur, qua optatior esset nulla: communes denique deos provocans hortatus est, ut Graecos servitute liberarent barbarosque vindicarent, quae quidem res satis facilis esset in navigandi imperitia barbarorum, qui illis omnino impares reperirentur. Leotychides precibus Hegesistrati commotus, fide data eum abire iussit, Samios fore sibi socios gratos professus [6]). Propterea Graeci Delo Samum versus contenderunt, et pars quidem ad Heraeum ap-

1) Herod. VIII, 85. 2) Herod. VIII, 130. Diod. S. XI, 27. 3) Herod. l. c. 4) Herod. VIII, 132. 5) Herod. IX, 90. Diod. S. XI, 34. 6) Herod. IX, 91. Diod. S. XI, 34.

pulerunt, parantes navalem pugnam. Quorum adventu audito Persae Samo relicta ad Mycalen, ubi copiae regis pedestres castra habebant, se contulerunt. Ibi naves subductae valloque munitae. Secutis Graecis, Leotychides primum Iones in barbarorum exercitu militantes ad deficiendum sollicitat [1]), post milite in littus educto aciem instruit. Quae dum fiunt, Persae Ionibus diffidentes et Samiis arma auferunt, et Milesios e castris removent. Samii enim iustam suspicionem Persis moverant liberatis quingentis Atheniensibus, qui in insulis a barbaris custodia tenebantur, iisque Athenas missis [2]). In pugna autem ipsa ad Mycalen Samii armis destituti, etiamsi Persarum exercitui interfuerunt, Graecis tamen auxilium afferre studebant, quantum per ipsos licebat. Quod cum ceteri Iones animadvertissent, et ipsi Persas deseruerunt inque eos impetum fecere [3]). Classe barbarorum castrisque conflagratis ac praeda coacta, Graeci in Samum revertuntur, et facta deliberatione de Ionum firmanda libertate, insulani ut in foedus recipiantur Ol. LXXV, 2 inter eos convenit [4]). Sic in pugna ad Mycalen Samii iterum a Persis desciverunt, et tyrannidis iugo quod satis diu eos presserat tandem soluti prodierunt.

### §. 6. De Samiorum arte.

**Artis apud Graecos inquirenti origines, deorum religioni et sacris primam adfuisse quasi ministram clarissime elucebit: dein rem eo immutatam videbis, ut quae primis temporibus deorum augeret et maiestatem et splendorem, subinde in usum eorum concesserit qui summam imperii tenebant, potentiorum regum et tyrannorum inserviens ornatui, donec postremo apud locupletis-**

---

1) Herod. IX, 96. 2) Herod. IX, 99. Polyaen. strat. VII, 45. 3) Herod. IX, 103. Diod. S. XI, 36. Polyaen. I, 38. 4) Herod. IX, 106. Diod. S. XI, 37.

simum quemque divitiis et luxu insignem mercenaria facta sit. Apparent propterea circa Iunonis templum, ut apud Argivos, ita apud Samios artes consociatae, et quamvis Aeginetarum antiquiori arti Smilidis auspiciis priscum Iunonis signum deberi haud ibo infitias, Samiorum tamen haud ita multo post Aegineticam si non superasse, certe aequasse evincetur. Iunonis templum Herodotus L. III, c. 60 μέγιστον vocat τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, eiusque primum conditorem Ροῖκον Φίλεω Samium, cuius aetatem vix cum Thierschio [1] ad Olympiadum initia removerim. Etiamsi enim Heraeum antiquissimis templis adnumerari optime novi, neque Smilidi Aeginetae Rhoecum aequaevum dici omnino me latet, tamen non possum quin ante vigesimam Olympiadem eum floruisse negem, atque malim Smilides quum plures reperiantur, de minimo natu cogitare, qui una cum Rhoeco floruerit. Cui architecto Heraei si Noctis in templo Dianae Ephesiae signum iure tribui possit [2], — suspicionem autem movet Artemisium Ol. LVIII demum conditum, ita ut pridem iam elaboratum in ligneo templo adfuisse cogitaveris — vix artificiosius tibi fingas, quam quae sub idem tempus a Smilide Aegineta confecta perhibetur artis sane primitiis adnumeranda Iuno Samia [3]. De necessitudine autem quae Samiis artificibus cum Sicyonia Aegineticaque disciplina intercessit, optime disputavit Müllerus [4].

Ut de statuaria primum agatur, florebat Samiorum artificum celeberrima schola, cuius principem *Rhoecum* cognovimus Philei filium, ad Polycratis usque tempora, ita ut Rhoecum secuti sint *Theodorus* et *Telecles*, quorum ille una cum Rhoeco patre primus aes conflasse traditur [5].

---

1) De epoch. plast. diss. alt. 2) Pausan. X, 38. 3) Pausan. VII, 4. Clem. Alex. Protr. p. 13, 51. 4) Aegin. p. 97. sqq. 5) Pausan. X, 38. VIII, 14. Plin. H. N. XXXV, 43. Diog. L. II, 103. Plat. Io. opp. T. I, p. 533. A. ed. Steph. Hesych.

Inventa hac aeris fundendi cudendique ratione quantum ars statuaria lucrata sit, non est quod dicam, sed ad Ol. circiter vigesimam referendam esse illam putaverim, nisus Plinii auctoritate [1]), qui pro aeris fundendi arte minus recte, Plasticen, inquit, invenerunt Rhoecus et Theodorus multo ante Bacchiadas Corintho pulsos. Iam quaeritur, ad quem artifices illi statuas effinxerint modum, ad molliorem characterem, an ad duriorem Aeginetarum, an ad Aegyptiorum exemplar. Extat huius rei luculentissimum documentum apud Diodorum [2]), Teleclem et Theodorum, qui apud Aegyptios commorati essent, Samiis Apollinis Pythii simulacrum elaborasse. Statuae huius dimidium Sami a Telecle fabricatum, Ephesique a Theodoro fratre alteram partem: iunctasque inter se partes ita consensisse, ut totum corpus ab uno confectum videretur. Quod genus artificii a Graecis nequaquam exerceri, sed frequentissime apud Aegyptios usu venire perhibetur. Apud hos enim non oculorum contuitu, quod Graecis in more est, aptam statuae conformationem aestimari solitam, sed quando lapides excisos et in partes distributos elaborant, tunc proportionem simul a minimis ad maxima desumi. Universi enim corporis structura in XXI partes ac quadrantem divisa totam symmetriam, qua partes et sibi inter se et universo corpori respondeant, ab illis reddi. Idcirco ubi de magnitudine artifices inter se convenerunt, digressi suam quisque partem congruam alteri facit, ut operum horum insolentia admirationem cum stupore inducat. Simulacrum ergo Samium pro Aegyptiorum solertia a vertice in duo sectum ad pubem usque medium ita distinguere, ut eius in utraque parte aequabilitas constet. Cumque manibus sit protensis et cruribus ad progredientis modum diductis, quam proxime ad Aegyptiorum effigies accedere illud dicitur. Nihil tamen neque

---

1) l. c. 2) L. I, 98, §. 39.

Theodori neque Teleclis ex aere fabricatum vidit Pausanias [1]), etiamsi inter Theodori opera Scias Lacedaemoniorum recensetur [2]), haud ita dissimile vero, quum bello Messeniaco secundo, Lacedaemoniis Samii navibus adfuisse profiteantur [3]). Cessit autem haec Aegyptiaca Samiorum ars genuinae recentiori, quam deprehendimus absolutam in operibus *Theodori Teleclis filii*, qui Polycrateae tyrannidis floruisse censendus est initiis. Quamvis autem tanta artis mutatio intra tempus satis breve suspicionem veri movere queat, tamen non possum cum doctissimo Thierschio [4]) in duobus Theodoris haud acquiescente, duos quoque Telecles mihi fingere, qui si adessent, huius quaestionis nebulas facile diffunderent. Neque video cur Telecles Rhoeci filius minor natu non ipse iam alterius statuariae generis vestigia pressisse dicatur, quam Theodorum filium omnino excoluisse elucet. Imo confirmatur haec sententia ahenep illo in modum Argolici crateris, quod Ol. XXXVII Colaeus Iunoni obtulit impensis sex talentis, neque dubito quin ex eadem prodierit artificum disciplina pulcherrimum hoc artificium in quo gryphorum capita eminebant, quodque gestabant tres aerei colossi septem cubitorum amplitudine in genu prostrati [5]). Fuit autem in recentiori et patria Samiorum arte statuaria praecipuum hoc, quod magnae sibi laudem conciliavit subtilitatis. Hoc ipsum probant quum Theodori inventa, norma libella, tornus, clavis [6]), tum in artificiosissimis operibus sua ipsius aerea statua, quae praeter similitudinem mirabilem fama magnae caelandi subtilitatis celebratur. Dextra limam tenet, laeva tribus digitis quadrigulam translatam Praeneste [7]). Idem Ol. XLVII craterem confecit argenteum a Croeso Delphos missum, qui sexcentas ampho-

1) L. X, 38. 2) Pausan. III, 12. 3) Herod. III, 47. 4) Epoch. art. stat. Gr. II. 5) Herod. IV, 152. 6) Plin. H. N. VII, 57. 7) Plin. H. N. XXXIV, 19.

ras tenebat, teste Herodoto [1]) in huius artificii laudem addente: *οὐ γὰρ τὸ συντυχὸν φαίνεταί μοι ἔργον εἶναι.* Alium elaboravit aureum in cubili regum Persarum positum [2]). Artis autem magis rudis vestigia fert aerea illa statua, basi inscripta *Πολυκράτης ἀνέθηκε*, huic artificum scholae neutiquam tribuenda [3]). Summam autem celebritatem attulit ipsi Polycratis sphragis smaragdea, auro vincta [4]), cui lyram musicam insculpsit [5]). Quid autem, si eundem Plinius cum Smilide et Rhoeco Lemni labyrinthum fecisse enarrat [6])? nonne hic antiquioris Theodori tibi inciderit memoria, ita ut duorum apud Plinium artificum opera minus accurate distingui videantur? neque reticebo Samiorum in Lemno artificum mentionem haud magnam apud me habere fidem, quum inter Lemnios et Samios nusquam commercium neque mercatorium neque bellicum intercessisse constet, nisi Lycaretum Maeandrii Samiorum tyranni fratrem a Persis praefectum velis Lemno [7]), qui tamen quum ad posteriora pertineat tempora, nihil ad hanc quaestionem illustrandam facit. Quid? Proptereane cum doctissimo Hirtio [8]) Samiis labyrinthum tribuamus, tota Plinii de Lemnio disputatione ad Samum relata? In hac difficiliori condicione mihi quidem consultius videtur de Lemnio labyrintho cogitare, quam de Samio, cuius nec ullam a scriptoribus iniectam reperies mentionem. Post hunc Theodorum nomina quidem Samiorum artificum ad nos perlata leguntur nulla: Samios tamen posteris quoque temporibus artis statuariae omnino studiosos testantur et artificiosissima opera illa in Heraeo collocata [9]), et statuae quas cives publice viris eximiis ut Alcibiadi, Cononi, Timotheo posuerunt.

---

1) L. I, 51. 2) Athen. XII, p. 515. A. 3) Conspicitur in Mus. Nani Venetiis. Winckelm. hist. art. I, p. 12. 4) Herod. III, 41. Pausan. VIII, 14. 5) Clem. Alex. Protr. III, p. 185. 6) H. N. XXVI, 19. XXXIV, 19. Müller Aegin. p. 98. Thiersch. l. c. 7) Herod. V, 27. 8) Hist. archit. I, p. 232. Bötttig. Amalth. I, p. 268. 9) Cf. p. 60. sqq.

Unius superest nomen Ctesiclis statuarii, qui Pario marmore statuam mulieris ita confecit, ut Cleisophus amore eius deperditus in templo claudi se pateretur, rem cum illa habiturus [1]).

Architecturam quam statuariae antecedere constat, Sami floruisse satis iam persuaserunt nobis *Rhoecus* Heraei primus conditor et *Theodorus* Sciadis architectus: ceteraque aedificia quum publica tum sacra deperditis auctorum nominibus huius artis splendorem cum fide testantur. Unum *Mandroclem* nominabo, qui supra Bosporum Dario architectatus est pontem [2]).

Devenimus ad pingendi artem, cuius quum luculentissimum tum antiquissimum exemplar protulit idem Mandrocles pontis architectus. Impendit enim decem talenta muneri a Dario data in tabulam, in qua exhiberetur facta Bospori coniunctio, Dario rege ex alto copias traiicientes adspiciente. Qui praestantissimae huius picturae fuerit auctor haud compertum habeo, Mandroclem ipsum non esse ex Herodoteo loco aperte liquet. Eadem fere aetate florebat *Calyphon;* pinxit Discordiam in templo Dianae Ephesiae, quo nomine pugna quam Graeci cum Persis commiserunt repraesentata significabatur [3]).

Idemque templum ornavit Calyphon pictura, qua feminae nonnullae Patroclo loricae gyala aptabant [4]). Non ignobilis pictor dicitur Plinio [5]) *Theodorus*, Nicosthenis discipulus, incerta aetate: Demosthenis temporibus inclaruit *Agatharchus*, Eudemi filius [6]). A *Timanthe* Sami superatus est Parrhasius in Aiace armorumque iudicio, pictore haud spernendo, etiamsi Parrhasius herois nomine se moleste ferre dicebat quod iterum ab indigno victus esset [7]). Quanti artem pingendi

---

1) Athen. XIII, p. 605. F. cf. Plin. H. N. XXXVI, 5. Lucian. Amorib. 15. Tom V. opp. ed. Bip. p. 273. sqq.
2) Herod. IV, 88. 3) Pausan. V, 19. 4) Pausan. X, 26.
5) H. N. XXXV, 40. 6) Dem. ap. Harpocr. v. Ἀγαθαρχ. Suid. v. Ἀγαθ. 7) Plin. H. N. XXXV, 36. Athen. XII, p. 543. E. Aelian. var. hist IX, 11. Eustath. ad Hom. p. 1698, 60.

fecerint Samii docet Apellis Habron; clarissimo artifice opus haud indignum [1]). Denique qui inter litteratos Samios principis locum obtinet, eidem cognominis ultimum tuetur inter statuarios et pictores. *Pythagoras* enim Samius initio fuit pictor, dein statuarius, eiusque signa ad aedem fortunae Plinii tempore septem nuda et senis unum exstabant [2]).

De arte musica bene meruit *Pythagoras* philosophus, non perfunctorie opera musicae impensa, qui naturam universi musicis rationibus fabricatam demonstravit [3]), et *Stesander*, qui primum Delphis cithara Homeri pugnas cantavit auspicatus ab Odyssea [4]). Subiungam *Telephanem* tibicinem, cui tumulum in via quae Megaris Corinthum ducit, exstruendum curasse dicitur Cleopatra, Philippi Macedonum regis filia [5]): virgines denique Samias, quae tibiis canendo, tympano pulsando, et saltando magnam sibi pararunt gloriam, *Aristonicam*, *Oenanthen*, et *Agathocleam* [6]).

Musica autem et orchestica aeque a gymnastica antiquiore arte profectae perhibentur, atque statuaria pingendique ars architectura quasi matre natae. Gymnasticam igitur, quae quidem nostris hominibus contempta non ars habetur, paucis iam tangam. Samiis in athleticis certaminibus prae ceteris Ionibus laudem summam tribuit inscriptio statuae in Alti dicatae a Mecone gymnicorum magistro in honorem Samii pugilis [7]). Ex antiquioribus vero athletis fuerit Eurymenes Samius, qui licet statura exigua esset, multos procero corpore superavit et Olympia vicit. Nam cum ceteri athletae adhuc ex veteri instituto caseo et ficubus vescerentur, hic e Pythagorae consilio primus certum quotidie carnis pondus comedens, magnum

---

1) Plin. l. c. 2) Plin. H. N. XXXIV, 19. Diog. L. VIII, p. 225. vit. Pyth. 3) Athen. XIV, p. 632. B. 4) Timomach. Cypriac. ap. Athen. XIV, p. 638. A. 5) Pausan. I, 44. 6) Plut. Amator. 9. Plut. Cleom. Vol. V, p. 194. et Polyb. excerpt. 7) Pausan. V, 13.

sibi corporis robur comparavit [1]. Duridem in puerili pugilatu Ol. CVII victorem designat Hippiae statua, in eius honorem Olympiae Ol. CXIV, posita [2]. Laudatur porro Aegles athleta mutus, qui victoriam iam adeptus, quum eius praeconium cum praemio ipsi eriperetur, indignatione accensus vocalis evasit [3]. Ol. CXLIII Heraclitus in stadio Olympiae victor inscriptus est [4]. Artis gymnasticae apud Samios florentis testem quoque afferam τὰν ἐν Σάμῳ κομήτην. Aiunt enim pugilem quendam apud Samios fuisse, qui quum ab adversariis ludibrio haberetur, quod comatus esset, congressus cum illis vicit [5].

Inter rudera urbis Sami inventas inscriptiones quae victores gymnicos produnt, Pococke [6] communicavit plures, sed mirum quantum mutilatas.

## Caput Quartum.

### §. 1. Res sacrae. Iuno.

Quam in altero capite de arte instituimus disputationem, ea satis iam declaratum est, cultum deorum omnemque humanam religionem arte quam maxime involvi. Saepius igitur et hoc loco ubi de cultu deorum sermo fiet, ad artem erit recurrendum, neque nobis invitis, quo magis quam late artes apud Samios patuerint apparebit. A Iunone autem dea Samiorum tutelari [7] principium.

Quanta ea cum sanctimonia a Samiis culta sit manifestant praeter nobilissimum Heraeum a lit-

---

1) Diog. L. VIII, 12. 2) Pausan. V, p. alt. c. 13. 3) Valer. Maxim. I, 8, extr. A. Gell. N. Att. V, 9. 4) Euseb. Chron. Ol. CXLIII. 5) Erasm. Adag. τὸν ἐν Σαμ. κομήτ. 6) Inscr. antiq. P. I, c. 4. 6. 3. p. 44. 7) Ovid. Metam. VIII, 221. Virgil. Aeneid. 1, 16. Apoll. Rhod. Argon. I, v. 187. Dionys. de situ. Iacobs T. I, anathem. 243.

tore viginti stadia remotum, Iunonis Hipnusiae templum Hipnunte [1]), eiusdemque deae sacrum Naucrati in Aegypto [2]). Ad antiquiora tempora huius deae cultum pertinere eo facilius tibi persuaseris, quo magis quum fabula de deae ortu ad Imbrasum sub vitice, quae Pausaniae etiam aetate ostendebatur [3]), tum narratio de templi vetustate hoc ipsum indicare videantur. Nam vel neglecta Menodotea confabulatione, Lelegibus et Nymphis templum debere originem [4]), mentio tamen apud Pausaniam, Argonautas illud dicasse qui Argis signum detulerint [5]), quo in remotissimam antiquitatem hic Iunonis cultus producitur. Nihilominus tamen ad prima insulae initia hunc cultum referendum esse eumque ab Argivis profectum nullus negabit [6]). Clemens enim Alexandrinus [7]) Samiae Iunonis signum primo nihil nisi tabulam fuisse, tum sub Procle rege ad imaginis formam redactum, memoriae prodidit. Quae quidem Iuno ad aliquam certe artis similitudinem conformata etiamsi ex Pausaniae [8]) et Clementis [9]) verbis Smilidi Aeginetae haud iniuria tribui videatur, dubitatio tamen oboritur satis magna, quod in vetustiora Smilis tempora removetur [10]), ita ut, si Smilis vere Iunonis Samiae auctor fuit, Rhoeco ante vigesimam Olympiadem vix collocando minime aequaevus dici possit. Eodemque fere tempore fundamenta templi illius celeberrimi iacta sunt, quod Herodotus [11]) *νηὸν μέγιστον πάντων νηῶν τῶν ἡμεῖς ἴδμεν* vocat, a Rhoeco Philei filio Samio. Ut apud Argivos Iuno *Εἰλήθυια* [12]) et *Γαμηλή* [13]) colebatur, ita apud Samios Iuno *Παρθενία*, quam nescio an rectius ab insulae no-

---

1) Steph. Byz. v. *Ἰπνοῦς*. 2) Herod. II, 148. 3) Pausan. VII, 4. Appulei. asin. aur. VI, p. 459. Lactant. p. 74. Eustath. ad Hom. p. 987, 9. Spanhem. ad Callim. hymn. in Del. v. 49. 4) Athen. XV, p. 672. A. 5) L. VII, 4. 6) Pausan. l. c. 7) Protr. p. 13, 43. 8) L. VII, 4. 9) Protr. p. 13, 51. 10) Müller. Aegin. p. 97. 11) L. III, 60. Eustath. ad Dionys. v. 534. 12) Hesych. v. *Εἰλήθ*. 13) Eustath. ad Hom. p. 1156, 47.

mine sic vocatam dicam, ut *Ἀθήνην* ab Athenis, quam cum Lactantio [1]) fabulae accedam eum in finem confictae, ut Iuno non ab Argivis Samum deducta, sed genuina et patria Samiorum dea evinceretur. Nam ne videretur Argis Samum translata, hoc potuerunt argumento uti, partheniam, i. e. virginem Iunonem, prius exstitisse quam *Γαμηλή*; et *Εἰλήθυια* h. e. nuptiis et partubus favens, fieri potuerit. Iunonem ibi tradit Lactantius l. l. adolevisse et Iovi nupsisse; „itaque nobilissimum et antiquissimum templum eius est Sami et simulacrum in habitu nubentis figuratum: et sacra eius anniversaria nuptiarum ritu celebrantur.“ Calculum adiicit Eustathius [2]) *ἕτεροι δὲ ἐν Σάμῳ λάθρα διαπαρθενευθῆναι αὐτήν* (*Ἥραν*) *φασιν· ὅθεν Σάμιοι κατὰ ζῆλον Ἥρας λάθρα τὰς παρθένους συγκοιμίζουσιν, εἶτα φανερῶς τοὺς γάμους θύουσι.* Dies festi *Ἡραῖα* vocabantur magnaque solemnitate celebrabantur. Pompam in templum inibant virgines et mulieres armillis et diadematis quam luxuriosissime ornatae [3]). Has sequebantur viri scutati armisque instructi [4]): ubi ad templum accesserunt, depositis armis libationes, vota et preces ad deam mittebant, dum sacerdotes in ara e cinere ex combustis victimarum femoribus congesta [5]) publicum sacrificium obibant [6]). Quae Heraea, quum Lysander bello Peloponnesiaco confecto Samum occupasset, nomen *Λυσάνδρια* obtinuerunt [7]), et praeter sacra etiam certamina ibi instituta sollemnitatem et splendorem festi augebant. Sed haec bene distinguenda sunt ab alteris illis sacris in eiusdem Iunonis honorem celebratis,

---

1) P. 74. cf. Eckhel doctr. numm. Tom. II, p. 568 et 569.
2) Ad Hom. p. 987. 9. Nihil facit ad hanc rem Pind. Ol. VI, 88 ed. Boeckh. nec Arcadum veneratio Iunonis *Παρθένου*.
3) Asius ap. Athen. XII, p. 525. F. 4) Polyaen. strat. I, 23. VI, 45. 5) Pausan. V, 13. 6) Huc pertinet vox obscurior ap. Hesych. *χρησίπαιδα· ἐν Σαμιακῇ θυσίᾳ ἡ λέξις φέρεται· δῆλον ὅτι μέρη ἱερείων λέγεται.*. 7) Plut. Lys. XVIII, Suid. v. *Ἡραῖα.* Hesych. *Λυσάνδρια.*

quae *Τονέα* vocabantur. Tyrrheni enim piratae conducti ab Argivis ad Iunonis Samiae simulacrum auferendum, ut Admetam Eurysthei filiam, quae Argis profuga Iunonis sacerdotium in insula sustinuerat, Samiis invisam redderent, imaginem quidem ad oram transtulere; auferre non potuerunt: Admeta diluculo deae simulacrum ad Caras aufugisse rata, ad oram reperit deam, quam pectore ad Amerinam salicem alligato longissimis ramis circumvolutam in sedem suam restituit. Ab eo tempore quotannis simulacrum in littus vectum repente e conspectu hominum tollitur, placentae apponuntur, et *Τονέα* festum vocatur, quod admodum intentis vinculis qui primi amissam imaginem sunt perscrutati, eam ligassent. Duravit apud Samios coronae ex Amerina salice usus adusque tempora Polycratis [1]).

In Heraeo pavones deae sancti alebantur permulti [2]). De mira Heraei magnitudine una omnium consentiens est vox Herodoti [3]), *τρίτον δέ σφι ἐξέργασται νηὸς μέγιστος πάντων νηῶν τῶν ἡμεῖς ἴδμεν* et *καίτοι ἀξιόλογός γε καὶ ὁ ἐν Σάμῳ ἐστὶ νηὸς* [4]), Strabonis [5]), *Ἡραῖον ἀρχαῖον ἱερὸν καὶ νεὼς μέγας*, eademque Appuleii [6]), Pausaniae [7]), Ciceronis [8]); neque si graviores illi testes deessent, minore stupore templum illud spectaremus, quod tot tantisque legimus refertum artificiis. Antiquissimum cognovimus donarium opulentissimum illud sex talentorum aheneum, ad Argolici crateris similitudinem conformatum, circa quod gryphorum capita eminebant, gestatum a tribus in genu procumbentibus colossis, qui septem cubitos ambitu complectebantur. Consecraverat Colaeus mercator ex quaestus decima Iunoni [9]). Adiungo craterem quem Samii Lacedaemoniis ad Croesum delaturis aut eripuerunt, aut ab illis emerunt, inque Heraeo collo-

---

1) Menodot. ap. Athen. XV, p. 672. A. 2) Athen. XIV, p. 665. A. A. Gell. N. A. VII, 16. Pausan. II, 17. 3) L. III, 60. 4) L. II, 148. 5) L. XIV, p. 438. 6) Florid. II, p. 15. 7) L. VII, 5. 8) Verr. I, 20. 9) Herod. IV, 152. Appulei. Florid. II, p. 15.

carunt [1]). Haud ita multo post Amasis Aegypti rex propter hospitium quod sibi cum Polycrate intercesserat, duo ipsius signa lignea quae quidem Herodotus pone templi valvas posita vidit [2]), Iunoni dedicavit. Polycrates ipse praeter immensam auri argentique copiam Bathylli statuam apud deae aram dicavit, qua nihil Appuleius [3]) affirmat perfectius se cognovisse. Interfecto Polycrate, Maeandrius omnes pretiosissimas tyranni res Iunoni obtulit [4]). Initio expeditionis Persicae Mandrocles architectus decem talenta imagini conficiendae impendit, qua Bospori coniunctio et Darius rex ex alto videns copias traiicientes depingebantur, eandemque imaginem Iunoni consecravit inscriptam:

*Βόσπορον ἰχθυόεντα γεφυρώσας ἀνέθηκε*
*Μανδροκλέης Ἥρῃ μνημόσυνον σχεδίης·*
*Αὑτῷ μὲν στέφανον περιθεὶς, Σαμίοισι δὲ κῦδος·*
*Δαρείου βασιλέος ἐκτελέσας κατὰ νοῦν* [5]).

Flagrante bello Peloponnesiaco Samii Alcibiadi aheneam statuam ibi erexerunt, postea Cononi et Timotheo [6]). Nec silentio obire licet aureum, argenteum et aheneum taurum, quem detecto metallo Iunoni posuit Mandrobulus [7]). Incerti temporis est donum ab Hesychio laudatum quod hanc habet inscriptionem:

*Βάστα Κάρα Σάμιος θήρην τήνδ' Ἥρῃ ἔθηκε* [8]).

Quam innumeram auri, argenti, aerisque Heraeum tenuerit vim, inde optime colligitur quod expilato a piratis [9]), maxime a Verre [10]) sacro, Appuleius tamen maximam auri et argenti copiam in lancibus, speculis, poculis, et huiuscemodi utensilibus, magnum etiam aeris pondus vario effigiatu,

---

1) Herod. I, 70. 2) Herod. II, 182. 3) Florid. II, p. 15. 4) Herod. III, 123. 5) Herod. IV, 88. 6) Pausan. V, p. alt. c. 3. 7) Suid. v. *ἐπὶ τὰ Μανδροβ.* Erasm. Ad. *ἐπὶ Μανδρ.* Clem. Alex. Protr. p. 79. 8) v. *Βάστα Κάρας.* Neque satisfaciunt quae Koenius et Bastius ad Gregor. Corinth. de Dial. p. 125 et 126 ed. Schaefer animadverterunt. 9) Plut. Pompei. c. 24. 10) Cic. Verr. I, 20.

veterrimo et spectabili opere summa ibi cum admiratione spectasse se profitetur [1]). Magnum illud templum Strabonis tempore imaginibus collocandis inserviisse narratur [2]). Fuerunt praeterea aliae permultae pinacothecae et delubra veteribus artificiis impleta, omnium autem maxime hypaethrum signorum quae tenebat praestantia inclaruit. Ibi tres Myronis colossi in una basi conspiciebantur, ab Antonio ablati; Augusto restituti debentur Hercules et Athene, Iove in Capitolio retento ibique suo in templo culto.

Heraeum quum rerum tum hominum firmissimam suscipiebat tutelam. Clisthenes propterea Atheniensis quum rebus prospiceret suis, filiarum dotem Iunoni Samiae commisit [3]). Neque alia de causa Samii ad Tiberium legatos miserunt, ut vetus asyli ius Iunonis templo firmaretur, Amphictyonum decreto maxime nisi [4]). Ad Doricam rationem Heraeum aedificatum vel tacente Vitruvio [5]) affirmari posset, quum omnia antiquiora aedificia ad hanc normam esse confecta constet. Idem Vitruvius Theodorum de Dorica ratione, ad quam Rhoecus Heraeum Sami condiderit, librum composuisse testatur [6]). Si vere narrat Pausanias Iunonis templum Persarum furore incensum, Cyri tempore Ol. LVIII id acciderit necesse est tunc, quum Phocaeae Minervae aedes incendio absumeretur [7]); neque tamen magno cum damno, quum Herodotus hanc rem omnino silentio obeat, tam multa de ipsa insula nec pauca de templo disserens, quumque apud ceteros scriptores nulla huius rei mentio reperiatur; nisi hoc templi incendio in postrema insulae tempora collocando scriptorum silentium defensurus sis.

---

1) Appulei. Florid. II, p. 15. 2) Strab. XIV, p. 438. 3) Cic. de legg. II, 16. 4) Tacit. Annal. IV, 14. 5) Prooem. 6) Prooem. p. 7. cf. Hirt in Böttig. Amalthea Tom. I, p. 268. 7) Herod. I, 164. Pausan. VII, 4 et 5.

**Iunonis cultu haud inferiorem esse Pythii** Apollinis in Samo religionem, testantur cum Homero [1]), Pausanias [2]), *Ἀρχαῖος δὲ καὶ ὁ Σαμίοις Ἀπόλλωνος Πυθίου ναός*, et elaborata Pythii Apollinis statua [3]). Quum Sami conditae Apollo auctor Iamblicho [4]) dicatur, huius dei cultum pro genuino habebis, etiamsi alioquin eo inclinares, ut cum Lesbiis colonis, apud quos summis augebatur honoribus [5]), transmigrasse eum putes. Repugnant autem quum loci quos iam attuli, Pythicum nostra in insula sanctissime haberi professi, tum narratio, Polycratem Rheneam Delio Apollini consecrasse [6]), et brevi antequam vita concesserit, Deli splendidissimis ludis actis Pythium consuluisse Apollinem, utrum Pythia an Delia nuncupanda essent [7]).

Ubi autem Apollo tanta veneratione gaudebat, quis est qui miretur sororem pari honore fuisse ornatam? *Καπροφάγος* nuncupata [8]) singularem habuit sedem *Ταυροπόλιον* [9]), et cognomine *Χησίας* et *Ἰμβρασίης* cum Iunone communi usa [10]), in monetis posteriorum temporum simillimo habitu expressa est. Sanctissime fuisse cultam inde quoque sequitur, quod Samii coloniis deductis huius deae cultum propagarunt. Nam ut Naucrati in Aegypto Iunonis sacrum, ita Cydoniae in Creta Dictynnae templum Ol. LXIII, 2 condiderunt eiusque deae sollemnia instituerunt [11]). Sami Corcyraeorum iuvenes Ol. XLVII, 3 auctores designantur festi in Dianae honorem celebrati. Iusserunt enim eos Samii, ut in Tauropolium asylum [12]) confugerent, et quum Corinthii eos cibo

---

1) Hymn. in Apoll. v. 41. 2) L. II, 31. 3) Diod. Sic. I, 98, 30. 4) De vita Pythag. 5) Steph. Byz. v. *Ἑκατοννῆσοι.* v. *Νάπη.* v. *Μαλόεις.* 6) Thucyd. I, 13. III, 104. 7) Erasm. Adag. Phot. lex. *Πυθ. κ. Δηλ.* 8) Hesych. v. *Καπροφ.* 9) Strab. ap. Steph. Byz. *Ταυροπόλ.* 10) Callimach. hymn. in Dian. v. 228. et Spanhem. ad h. l. 11) Herod. III, 59. Diod. V, 76. Müll. Aegin. p. 164 sqq. 12) Strab. ap. Steph. Byz. v. *Ταυροπ.* cf. Schol. Aristoph. Lysistr. v. 448. Suid. v. *Ταυροπ.* Heyne ad Apollod. p. 1070.

arcerent, festum illi instituerunt posteaque celebrarunt, ut noctu chori iuvenum virginumque agerentur, et placenta ex sesamo et melle confecta apponerentur [1]).

§. 3. Dionysus. Neptunus. Mercurius.

Ad Dionysum transeo, qui et Sami et Gorgyrae religionem habuit summam. Sami enim Elpis in Libyam vectus, quod vitae discrimine ut a leone interficeretur prospere evasisset, Libero templum consecravit, nomenque *Κεχηνότος Διονύσου ἱερόν* indidit, ab hiatu leonis unde multum ipsi timendum erat, in Dionysum translata appellatione [2]): quae quidem narratio e Libya Dionysi religionem Samum delatam prodit: coluisse autem Libyas Dionysum testatur Eustathius [3]), *εἴγε περὶ τὴν Λιβύην ἕτεροι θεραπεύονται Διονύσου Πόλιν εἶναι ἣν οὐκ ἐνδέχεται τὸν αὐτὸν ἐξευρεῖν ὡς μεθισταμένην.* Sed quae apud Hesychium Dionyso Samio tribuuntur cognomina *Ἐλυγεὺς* et *Ἐνόρχης* [4]) sententiam nostram confirmant, iam ante hoc Elpidis templum Dionysum venerationis apud Samios sedem tenuisse. Gorgyrae praeterea Dionysi Gorgyri templum iam supra commemoravimus [5]). Ostendit simul Dionysi epitheton *Ἐνόρχης* nexum Samii Dionysi cum eo, quem Samothracum mysteria deum phallicum a duobus Cabiris interfici eiusque alterum testiculum in Tyrrheniam deferri tradunt [6]); nisi Hesychio: *ἐνόρχην λάον· τὸν ἐπὶ ἥβης* explicanti accedere malis [7]).

Neptuni

1) Herod. III, 48. 2) Plin. H. N. VIII, s. 21. Aelian. var. hist. VII, 11. cf. p. 19. 3) Ad Odyss. X, 3. p. 378. Basil. cf. Diod. S. III, 71. Nonni Dionys. XVIII, v. 232. imprimis Creuzer Symbol. Tom. II, p. 262. 4) Praeter Hesych. v. Lycophr. v. 212. *Ἐνόρχης* qui habet testiculos optime in Liberum quadrat. 5) Duris ap. Step. Byz. *Γοργυία.* Etym. M. v. *Γόργυρος.* 6) Clem. Protr. p. 15. sqq. Creuzer Symbol. II, p. 333. III, p. 131. 7) Cf. Winckelmann hist. art. p. 284.

Neptuni templum Posidio orientali insulae promontorio attulit splendorem, et ob situm nomen sibi vindicavit ἱερὸν Ποσειδῶνος Ἐπακταίου [1]). In priora tempora et Mercurii religionem remitto, quem populus mercaturae deditissimus quod veneratione prosequatur haud miror: χαριδότης inde vocatus esse fertur, quod Samii ab Ephesiis insula pulsi decem annos furando et latrocinando victum quaesierunt et recuperata tandem insula, Mercurio gratias relaturi templum exstruxerunt, inque sacris faciendis furari et praedari sibi invicem permiserunt [2]). Sed quanta fide haec fabula digna habenda sit optime perspicies, quum perpenderis Mercurii cultum esse oportere, si deus ipsis exulibus imploratus auxilium mittere possit; neque Mercurii patroni latronum extare mentionem, furum quidem, sed quatenus subdole alienam rem auferunt, non violenter latrocinia committunt.

## §. 4. Iupiter. Venus. Amor. Athene. Demeter.

Iovi Ἐλευθερίῳ post necem Polycratis Maeandrius in suburbio aram et sacrum constituit [3]). A quo deducimur ad Venerem quam populus ad luxuriem et mollitiem ita pronus non potuit non maximo cultu venerari. Hoc persuadebit nobis et Dexicreontis Venus [4]), a Cypro cultum profectum innuens, et templum Veneris ἐν Καλάμοις, in arundinibus, s. ἐν Ἕλει, in palude, quod in suburbio Atticae meretrices Periclem in obsidenda Samo secutae aedificarant ex quaestu quem prostituto corpore nactae erant summum [5]). Neque in Venere colenda acquieverunt Samii, sed Amoris gymnasium constituerunt festumque Ἐλευθέρια

1) Hesych. v. Ἐπακταῖος. 2) Plut. Qu. Gr. LV. Pausan. VII, 4. cf. Eustath ad Hom. p. 989, 40 ubi Dionysus χαριδότης nuncupatur. 3) Herod. III, 142. 4) Plut. Qu. Gr. LIV. 5) Alexis ap. Athen. XIII, p. 572. F. cf. animadv. Schweigh. Herod. IX, 96. Sic Athenis conspiciebatur templum Διονύσου ἐν Λίμναις.

in eius honorem celebrarunt [1]) Liberius autem in hisce *Ἐλευθερίοις* actum esse omnino docet Diphilus [2]) relicto nobis aenigmate obscoeno quidem nec tamen inficeto. Proposuerant enim tres Samiae virgines inter potandum *τί ἐστι πάντων ἰσχυρότατον;* ad quod prima respondit *σίδηρον*, altera *χαλκέα*, tertia denique *πέος*, *ὅτι καὶ τὸν χαλκέα στένοντα πυγίζουσι τούτῳ.*

Arctiori demum cum Atheniensibus consuetudine contracta, Pallas Samum adiisse mihi videtur, *Ἐργάνη* vocata *παρ᾽ ὅσον ἔφορός ἐστι τῆς τῶν γυναικῶν ἐργασίας* [3]). Praestantissimum eius signum Myrone artifice Hypaethrio haud exiguam addidit celebritatem [4]).

Restat Demeter Samiis sub nomine *Ἐνελυσκὶς* teste Hesychio culta.

### §. 5. Bellorum Persicorum exitus.

Expeditione in Byzantium ab Atheniensibus suscepta, Graecorum navibus praefecti et duces, in his autem maxime Chii, Samii, et Lesbii [5]) Aristidi persuaserunt ut principatum susciperet, et socios qui diu iam a Spartanis liberari et ad Athenienses transire cuperent, sibi conciliaret. Aristides autem quum vera et utilia eos dixisse responderet, facto tamen opus esse ad fidem faciendam; qui cum Uliada Samio et Antagora Chio militabant, prope Byzantium triremem Pausaniae assecuti reducunt eum, qui principatum hucusque obtinuerat et sic quod volebant perfecerunt [6]). Neque hac re Samios contentos sua auctoritate etiam illud effecisse, ut eodem anno aerarium Delo Athenas transferretur, falso prodit Plutarchus. Insulanorum enim plus intererat ut Deli aerarium remaneret,

---

1) Athen. XIII, p. 562. A. 2) Ap. Athen. X, p. 451. B. 3) Suid. et Hesych. v. *Ἐργ.* Aeschyl. Prom. v. 461. Eurip. Andr. v. 1013. Diod. V, 73. 4) Strab. XIV, p. 438. 5) Plut. Aristid. XXIII. 6) Plut. l. c.

ne Atheniensium potentia eo maiora caperet incrementa: Atheniensium vero voluntas et parta bellis Persicis gloria omnium qui huic consilio adversabantur vicit conatus.

Quum Cimon in Thracia prospere belligeraret, adfuerunt et Samii Atheniensibus socii, qui quum de praeda ad Sestum et Byzantium acta inter Athenienses et Samios deliberaretur, Herophyto Samio auctore, Persas ipsos Atheniensibus reliquerunt, illorum autem res sibi sumpserunt [1]. Post victoriam Ol. LXXXII, 3 ad Cyprum de Persarum classe reportatam pacis foedus inter Athenienses horumque socios et Persas his legibus sancitum est, ut Graecis per Asiam civitatibus universis libertate ac suo iure uti permitteretur [2]. Oligarchiam tum in insula fuisse restitutam similius fiet veri, quum eas quae iam sequuntur res accurate consideraveris.

### §. 6. Bellum Milesium. +

Ol. enim LXXXV Samii cum Milesiis ob agros quos prope Prienen tenebant [3], bellum gesserunt idque feliciter. Quapropter Milesii una cum iis Samiorum qui rempublicam mutatam volebant, Athenas confugientes crimina Samiis obiiciunt. Ab Atheniensibus iubentur finem facere huius expeditionis et rationem apud ipsos reddere: neque tamen Samii dicto fuerunt audientes, sed ab Atheniensibus defecerunt. Huc pertinet Corinthiorum disputatio apud Thucyd. l. I. c. 40, quod ipsi, dum Peloponnesii dubitabant an Samiis auxilia ferenda essent, soli censuerunt, suos cuique licere socios punire. Pericles igitur qui a Milesiorum parte stetit, ut aiunt Aspasiae amore motus, quadraginta navibus Samum contendit democratiam-

1) Plut. Cimon. IX. Polyaen. strat. I, 34. 2) Diod. Sic. XII, 4. 3) Chandl. Inscr. ant. P. I, p. 15. 1, 2, 3, 4, 5. Marmor. Oxon. II, 25. Cf. p. 28.

+ Auf den Krieg verwendetes Geld in 2 Jahren Ol. 84,4. C. I. Att. I. 177.

que constituit, quinquaginta pueros totidemque viros obsides Lemnum deduxit, praesidioque Sami relicto rediit Athenas [1]) ac teste Diodoro et Plutarcho, octoginta talenta Samiis imperavit. Sed post ipsius discessum magnae Sami ortae sunt turbae, quum alii Samiorum democratiae adhaererent, alii aristocratiam optarent. Qui democratiae adversabantur, in Asiam concesserunt Pissuthnae Persarum satrapae auxilium imploraturi, qui quidem septingentos milites ipsis misit ad Samum occupandam. Cum hisce Samii noctu, adiuti a potentissimis e civibus, facile urbem obtinuerunt et adversarios eiecerunt. Obsidibus Lemno furto quasi reductis, Atheniensium praesidio cum magistratibus Pissuthnae tradito, in Miletum expeditionem statim paraverunt. Athenienses denuo imperium militare Pericli et Sophocli poetae committunt eosque navibus sexaginta contra Samum instruunt. Ad Tragiam quadraginta quattuor Atheniensium triremes duce Pericle Samios septuaginta triremibus instructos vincunt. Accesserunt haud ita multo post Athenis quadraginta naves, Chiorum et Lesbiorum viginti quinque. Harum ope Sami obsidionem adgreditur, ita ut trinis castris urbem terra marique obsideret. Ipse autem relicta ibi copiarum parte, cum sexaginta navibus inde solvens, Phoenicum navibus quas Persae Samiis auxilio miserant, occurrit; Stesagoras enim aliique cum quinque navibus Samo ad Phoenices abierant. Samii Melisso philosopho tum duce [2]), discessum Periclis idoneum sibi tempus attulisse rati quo reliquas eius naves invaderent, eruptionem in eas firmo praesidio destitutas faciunt, et proelio navali superiores per quindecim dies mari dominabantur, ut quidquid vellent adducere et deducere

---

1) Thucyd. I, 115. Diod. S. XII, 27. Plut. Pericl. XXV. Strab. XIV, p. 438. Aristot. Polit. III, 8. §. 4. Harpocrat. et Suid. v. Ἀσπασία. 2) Plut. Pericl. XXVII. Aelian. var. hist. VII, 14.

possent. Samii captis Atheniensibus γλαῦκα in fronte inusserunt, nam et illos Samaena Athenienses signarant [1]).

Pericles suorum clade audita sine mora regressus, Samios pugna navali devictos in urbem repulit, obsidionem terra marique intentavit assiduisque urbem oppugnationibus fatigavit. Machinas etiam bellicas primus omnium qui ad haec usque tempora inclaruerant ducum instruxit, arietes et testudines. Moenibus demum impulsu machinarum deiectis, factum est ut Samus nono mense in eius potestatem veniret Ol. LXXXV, 1. Affectis ergo supplicio defectionis auctoribus, in compensationem belli sumptuum ducentorum talentorum multam a Samiis exegit, cuius partem illico solverunt, reliquam soluturos per obsides sese obstrinxerunt. Carystion quidam ob proditionem eorum quae Samii contra Athenienses machinati sunt, unus ex tota civitate exstitit, cui beneficia Athenienses conferrent. Fuit in magno honore Athenis et civitate donatus [2]), quam quidem rem merito Aristophanes perstringit. Naves quoque Samiis ademit Pericles ac muros destruxit. Democratia tandem in pristinum restituta, in patriam rediit superbia efflatus [3]), quod Agamemnon quidem decimum post annum barbarorum urbem, ipse vero nonum post mensem primos et potentissimos Ionum devicisset. Neque fuit iniusta haec gloriatio; nam magnum profecto discrimen subibat auctor expeditionis contra Samios, qui ex Thucydidis verbis haud multum aberant quin Atheniensibus maritimum principatum eriperent [4]).

---

1) Plut. Pericl. XXVI. Aelian. var. hist. II, 9. Suid. v. Σαμιακ. τροπ. Σαμ. ὁ δῆμ. Σαμαίνη. Hesych. v. Σαμ. et Σαμ. ὁ δῆμ. Phot. τὰ Σαμ. ὑποπτ. Erasm. Adag. τὰ Σαμ. ὑποπτ. 2) Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 283. 3) Ion. ap. Plut. Pericl. XXVIII. Plut. de glor. Athen. VIII. 4) Thucyd. VIII, 76.

Nach d. Unterwerfung v. Samos ist Amorgos an d. [illegible] Kirchhoff, Tributpfl. d. Ath. S. 23.

# Caput Quintum.

## §. 1. Bellum Peloponnesiacum.

Ol. LXXXVIII, 1 Samii[1]) exsules Anaeis legatos miserunt ad Alcidam Lacedaemone Mytilenaeis auxilio frustra missum. Qui cum Myonesum Teiorum insulam peteret, insulanis quotquot inter navigandum ceperat, interfectis omnibus, ubi Ephesum appulit, Samii monuerunt, male eum de Graecia liberanda mereri si homines necaret, qui neque resisterent neque adversarentur sed inviti Atheniensibus adessent. Quod si non omitteret, paucorum ex inimicis sibi conciliaturum amicitiam, longe plures autem ex amicis nacturum hostes; quibus legatorum verbis Alcidas motus, Chiorum quos tenebat et aliquot alios dimisit. Etenim Samii Anaeis insula extorres Peloponnesios adiuvabant in re nautica missis gubernatoribus, atque Samios in urbe ad res novandas provocabant, qui vero urbe exibant, omnes apud se recipiebant[2]). Expeditionem mox in Siciliam susceperunt una cum Atheniensibus Samii illorum ὑπήκοοι καὶ φόρον ὑποτελεῖς[3]). Cognita Atheniensium in Sicilia clade Ol. XCI, 1, Chii ab Atheniensibus defecere qui in expeditione contra Chium Samo quasi refugio utebantur, quo fusi vel territi se reciperent, undeque in altum contenderent. Sub hoc ipsum tempus in Samo quoque motibus agitari populus coepit propterea, quod ope Atheniensium, qui tribus forte aderant navibus, optimates tolli cuperent[4]). Ducenti e primoribus occubuerunt, quadringenti extorres sunt facti, ipsi vero et agros et domus inter se distribuerunt et Atheniensibus ipsis αὐτονομίαν addi-

---

1) Thucyd. III, 32. 2) Thucyd. IV, 75. Diod. S. XIII, 34. 3) Thucyd. VII, 57. 4) Thucyd. VIII, 16, 17. Diod. S. XIII, 38, 41.

centibus, urbem administrarunt, neque cuiquam e populo ultra licebat cum uno e geomoris aliquid communicare [1]). Inde apud Samios qui fidelissimos omnium Atheniensibus se praebuerant socios, per sequentes annos classem tenebant Athenienses. Ol. XCII, 1 Phrynichus Atheniensium in Samo dux cum exercitu hostium communicavit consilia [2]), ut Samum adorirentur muris haud instructam, quoniam ne omnes quidem Atheniensium naves in portu versarentur. Quum vero comperisset, Alcibiadem hostium ducem per litteras Samios certiores fecisse proditionis suae, ipse iam omnes hostium conatus Samiis renuntiavit, et Samum ut quam celerrime munirent ceteraque bene tuerentur suasit. Athenienses igitur quos nuper muros ipsi Pericle auctore diruerant, eos iam Phrynicho duce restituerunt, idque minimo temporis intervallo. Quum Athenis redeunte Alcibiade ad Athenienses in democratiae locum quadringentorum oligarchia concederet, Samii quoque res novas moliti sunt. Qui enim e populo Samiorum optimates Ol. XCI, 1 sustulerant, nunc in diversam partem abierunt, moti et a Pisandro Atheniensium duce et ab Atheniensibus qui Sami aderant [3]). Trecentorum igitur imperium constituunt simulque in reliquum populum vim exercere conantur. Hoc certe tempore Samii statuam aeream Alcibiadi in Iunonis templo erexerunt [4]). Hyperbolum miserum Atheniensem, Charminum unum ex ducibus aliosque Athenienses interficiunt. Reliqui e populo auditis hisce facinoribus, Leonti et Diomedonti ducibus narrant quanta immineant mala et illis et sibi ipsis, quare cavendum esse monent, ne ipsi pereant neve Samus ab Atheniensibus abalienetur, cuius ope sola hucusque imperium Atheniensium constiterit. Duces propterea unumquem-

1) Thucyd. VIII, 21. 2) Thucyd. VIII, 51. Polyaen. strat. III, 6. Suid. v. *Φρυνίχου Πάλαισμα*. 3) Thucyd. VIII, 63, 73. 4) Pausan. VI, 3.

que militum adibant ne concederet, maxime autem liberos Athenienses qui in navi adessent et oligarchiae vel nondum constitutae adversarentur. Leon et Diomedon ipsis naves aliquas, si quo contendere vellent, reliquerunt, praesidium in hostes. Ubi igitur trecenti eos invaserunt, accurrerunt omnes hi, parali potissimum, Samiorumque populus superior evasit [1]). Triginta interfecerunt e trecentis, tres gravissimos auctores in exilium miserunt. Ceteris venia data, democratiam denuo restituerunt. In hoc tempus incidit etiam grave illud iusiurandum, quo et Atheniensium exercitus et Samii ipsi ad unum omnes qui virili erant aetate sese obstrinxerunt, ut democratiam tuerentur, bellum Peloponnesiacum ad finem ducerent strenue et animo in quadringentos infestissimo neque quidquam paciscentes. Tum temporis Samus de maritimo cum Athenis contendere poterat principatu, quod ex Thucydide cognoscimus [2]). In pugna ad Arginusas Diomedonti, Atheniensium duci, Samii decem cum navibus aderant, quibus praefuit Hippeus Samius [3]). Neque multo post pugnam ad Aegospotamos reliqua Graecia, una Samo excepta, ab Athenis defecit [4]). Lysander autem quum triginta viris rerum gerendarum curam Athenis commisisset, statim Samum cum classe discessit, magno Atheniensium stupore et dolore. Qui quum tradita urbe Samus ut ipsis relinqueretur petiissent, a Lacedaemoniis interrogatum est, an qui sui ipsius non esset compos, alios etiam tenere vellet: unde proverbium originem traxit:

Ὅς αὐτὸς αὑτὸν οὐκ ἔχει, Σάμον θέλει [5]).

Samii quum undique a Lysandro obsidione premerentur, qui iam copias admoturus esset muris eo tempore, quo primum de deditione consultabant, ita tandem se dedunt, ut liberis hominibus

---

1) Thucyd. VIII, 75. Xenoph. Hellen. II, 2, §. 3. 2) Thucyd. VIII, 76. 3) Xenoph. Hellen. I, 6, §. 29. Diod. S. XIII, 97. 4) Xenoph. Hellen. II, 3, §. 3 et 6. Diod. S. XIII, 106 5) Plutarch. Lacon. apophthegm. p. 238.

singulis cum una veste discedendi facultas esset, reliqua ei traderentur. Quo facto summis Lysander Sami affectus est honoribus, quum Samii et Heraea apud se Lysandria vocari decernerent [1]), et Lysandri statuam Olympiae ponerent cum hac inscriptione:

*Ἐν πολυθαήτῳ τεμένει Διὸς ὑψιμέδοντος*
*Ἕστηκ' ἀνθέντων δημοσίᾳ Σαμίων.*
*Ἀθάνατον πάτρᾳ καὶ Ἀριστοκρίτῳ κλέος ἔργων,*
*Λύσανδρ', ἐκτελέσας δόξαν ἔχεις ἀρετᾶς.*

Ex quo quidem, pergit Pausanias [2]), facile intelligas Samios et Ionas reliquos de una fidelia parietes duos dealbasse. Etenim dum Alcibiades Atheniensium classem bene instructam et ornatam circa Ioniam haberet, plerique Iones eum coluere, adeoque Samii statuam ei aeream in Iunonis templo erexerunt. Superatis vero navali proelio ad Aegospotamos Atheniensibus, iidem Samii Lysandro Olympiae statuam posuere. Iam vero commutata rursum fortuna quum ad Cnidum et Dorium montem ab Atheniensibus Cononis ductu classe victi fuissent Lacedaemonii, eousque Ionum studia in diversa abierunt, ut Cononem ex aere, Timotheum etiam Sami iuxta Iunonem positos videres.

Pausaniae sententia de Samiorum indole, qui modo has modo illas sequerentur partes, speciem quidem veri prae se ferre videatur, sed re accuratius perpensa, errasse Pausaniam habebis persuasum. Non enim uni iidemque homines Alcibiadi et Lysandro summos obtulerunt honores, etiamsi negari nequit utrosque fuisse Samios. A diversa enim stabant parte, quum altera populari imperio faveret eoque in Atheniensium amicitiam sese insinuare studeret; altera vero optimatium partes sequeretur ideoque Lacedaemoniorum patrocinio gauderet. Quis igitur iam vituperabit

---

1) Plut. Lys. XVIII. Phot. v. *Λυσανδρεῖα*. 2) L. VI, 3.

Samiorum optimates, quod, quum et suum in patriam reditum et potestatem suam solius Lysandri auctoritati deberent, statuam Olympiae collocarunt, ut gratias referrent Lysandro de ipsorum salute bene merito? Neque miror Cononi post victoriam ad Cnidum eos statuam erexisse, quum populares per Cononem rursum ad reipublicae gubernacula admitterentur a Lysandro iis erepta, ut γεωμόροις ea ab exilio regressis traderet. Neque optimates hisce honoribus quibus Lysandrum ornabant fuerunt contenti, verum etiam paeanem in Lysandrum Spartiatam scriptum Duris in Samiorum annalibus tradit a Samiis esse cantatum [1]). E Samiorum medio Choerilum sibi comitem elegit semperque apud se habuit, ut res a se gestas carminibus celebraret [2]). Legitur apud Pausaniam [3]), Cleomedem Samium ad Aegospotamos Lysandro operam navasse, quae ut mihi quidem videtur ad rem maritimam regendam spectavit. Nam de proditione in Athenienses et Samios commissa haud cogitaverim, quoniam huius rei nulla fit mentio, neque statua ab Alypo Sicyone facta Delphis proditori posita esset. Accedit quod supra iam monuimus, teste Thucydide, Samiorum optimates quum insula abiissent, Peloponnesios adiuvisse missis peritis gubernatoribus. Lysander urbe cum omnibus rebus civibus pristinis tradita, ac decem praefectis custodiae causa constitutis, sociorum navales copias singulas domum remisit [4]). Cave credas Diodorum [5]) huic δεκαρχίᾳ adversari, qui Thoracem Lacedaemonium Samiis rebus a Lysandro praefectum narrat. Quum enim antea Ἐφεδέται, e populo sorte creati magistratus, Samiorum rebus prospicerent [6]), iam Δέκαρχοι e Samiorum optimatibus electi, Thorax vero e Lacedaemoniis Ἁρμοστής constitutus. Ita

1) Athen. XV, p. 696. E. Plut. Lys. XVIII. 2) Plut. Lys. l. c. 3) L. X, 9. 4) Xenoph. Hellen. II, 3, 3 et 16. Plut. Lys. CXIV. 5) L. XIV, 3. 6) Hesych. v. Ἐφεδέται. cf. Cap. V, §. 5.

Samus Ol. XCIII, 4 in Lacedaemoniorum redacta ditionem aristocratica reipublicae forma usa est.

§. 2. Samus variorum imperio subiecta.

Sed vix elapso decennio Ol. XCVI, 3. parta à Conone victoria navali ad Cnidum, imperioque maritimo Atheniensibus restituto, rediit ipsa quoque ad societatem Atheniensium et Cononi cuius ope harmosta Samo eiectus est, statuam ex aere collocavit [1]). At Ol. XCVII, 3 miserunt Lacedaemonii Rhodiis apud quos populus imperium sibi vindicarat, septem triremes ducibus Eudocimo, Philodico et Diphilo. Qui primum Samum appulsi, ut ab Atheniensibus deficerent Samiis persuaserunt. Quia res Lacedaemoniis bene succedebat, imperium maritimum iterum adspirantes classem collegerunt, et paullatim socios sibi adiunxerunt. Igitur in Samum, Cnidum et Rhodum navigarunt, atque ita collectas instruxerunt triremes septemdecim [2]). Xenophon [3]) Teleutiam refert, quum Ecdico Lacedaemoniorum duci, qui in Cnidum solvebat et Rhodi popularem statum esse cognoverat, cum duodecim navibus auxilio delegatus esset, postquam in Samum venisset, adiunctis indidem sibi navibus Cnidum petiisse. Lacedaemoniorum igitur se partibus addixit Samos fortunam eorum qui plus poterant secuta.

Haud ita multo post quum ex pace Antalcidea Ol. XCVIII, 2 Persae imperium orae maritimae recepissent, in Tigranis potestatem regii praefecti concessit Samos, qui quidem Cyprothemin φρούραρχον insulae constituit [4]). Neque tamen diuturno Persarum subiecta fuit imperio.

§. 3. Athenienses eius sibi conciliant societatem.

Chabrias enim Atheniensis Ol. CI, 1. quum adire portum Samiorum obstante navali hostium

1) Pausan. VI, 3. 2) Diod. S. XIV, 97. 3) Hellen. IV, 8. §. 22. 3) Phot. Lex. v. Κυπρόθ. Harpocrat. et Suid.

praesidio non posset, paucas e suis navibus portum iussit transire, arbitratus qui in statione erant eas persecuturos: iisque callido hoc consilio avocatis, nullo obstante cum reliqua classe portu potitus est [1]). Haud ita multo post Iphicrates in Samo praedatus Delum navigavit, quo Samii legati accesserunt res captas pretio redemptum. Quas ille se redditurum pollicitus, clam expeditam navem emisit, et quasi ab Athenis navigare iussit ac fictam epistolam afferre, in qua Athenienses ipsum redire iuberent; ipse quum Samiis pace constituta, triremium praefectis solvere iussis, versus insulam desertam navigans noctem unam et diem illic stationem habuit. Samii quum audivissent Iphicratem abiisse summamque legatis humanitatem praestitisse, sine metu in urbe versabantur et in regione passim oberrabant. Quibus dissolute vagantibus, ille rursus ad Samum appellens praedam longe maiorem quam antea abegit [2]). In Atheniensium vero ditione insulam tum temporis non permansisse Isocrates docet [3]), regem affirmans Asianis imperare invitis, et Athenienses provocans ut Samum praeoccupent et Chium et Rhodum, ne quum ille firmiora hisce insulis imposuerit praesidia, gravius in regem sustineant bellum. Persuasit his Atheniensibus ut Timotheum ad Samum oppugnandam cum decem millibus mercenariorum conscriptis delegarent. Quibus cum hic persolvere stipendia non posset, videns plenam fructibus insulam esse, loco ad praedandum capto reliquos fructus vendidit, securitate iis qui legerent praestituta, collectisque hinc affatim pecuniis, partem stipendii militibus dispertivit atque sic usus illis alacrioribus, Samiorum urbem vi cepit [4]). Ol. CV, 3, quum Chiis, Rhodiis et Byzantiis coniunctis bellum sociale contra Athenienses flagraret, cum centum navi-

1) Frontin. strateg. I, 4, 14. 2) Polyaen. strat. III, 9. 36. 3) Panegyr. in fin. 4) Aristot. Oecon. II, p. 393. Polyaen. strat. III, 10, 9. Plut. Pelop. II. Plut. vit. X orat. Isocr.

bus Imbrum et Lemnum quae erant Atheniensium devastarunt, tum in Samum multis copiis profecti agrosque depopulati urbem obsederunt terra marique. Iphicrates vero, Timotheus et Chares Byzantium oppugnabant, eo conatu Samios obsessione liberaturi; quippe ita Chios et socios Byzantiis auxilia ferre coactos fore [1]). Maiorem enim fidem tribueris Diodoro quam Cornelio Nepoti [2]), qui Atheniensium duces, Iphicratem, Timotheum et Charetem Samum oppugnasse enarrat, orta autem tempestate Timotheum et Iphicratem a consilio pugnae navalis committendae destitisse, Charetem contra solum fecisse impetum, sed pluribus amissis navibus eo rediisse unde profectus fuerat, datis Athenas litteris, quibus scriptum erat, „sibi proclive fuisse Samum capere, nisi a Timotheo et Iphicrate fuisset desertus." Apparet enim Athenienses Samum non voluisse capere, sed vindicare ab hostibus qui eam obsiderent. Permiscuit scriptor, arte critica adhibita nulla, res satis diversas, quibus ut aliquam veri speciem obtruderet, huic confabulationi praemisit notitiam hanc „defecerat Samos." Sed res ipsa optime probat hic agi de bello sociali, in quo Samus vix a Rhodiis infestata fuerit relictis Atheniensium partibus. Imo quum Timotheo statuam apud Iunonem collocaverint Samii [3]), etiam eo colligitur, bene Athenienses de insula meruisse fortasse ob liberam reipublicae constitutionem, qua tunc denuo gaudebant.

### §. 4. Samiorum mores.

Libertatis sensus et patriae caritatem Samiorum in animis per tota quae iam percurrimus annorum spatia nunquam fuisse extinctos quis est quem lateat? Eius rei documentum est primum servorum seditio [4]), Geomororum dein imperium bello Me-

---

1) Diod. S. XVI, 21. 2) Vit. Timoth. 3. 3) Pausan. VI, 3. 4) Malac. ap. Athen. VI, p. 267. A. Cf. p. 26.

garensi callide sublatum [1]), bellum contra Polycratem Lacedaemoniorum ope susceptum, et colonia tum in Cydoniam deducta [2]). Idem animus eos ad consocianda arma ceteris cum Ionibus suscitavit Ol. LXIX, 3 [3]), idem impulit ut ante Aeacis tyranni adventum Siciliam peterent [4]), eundem sensum comprobaverunt misso ad Graecos ante pugnam Salaminiam Samio, qui universam rerum dispositionem indicaret et ipsos barbarorum aciem relicturos nuntiaret [5]); nec praeclaram Hegesistrati legati coram Graecis de Ionia liberanda habitam orationem aliunde profectam patet [6]). Quid? eo usque libertatis studium eos tulit, ut quingentos Athenienses, quos in insulis Persae in custodia tenebant, liberare auderent [7]). Fortitudine autem et virtute bellica conspicui apparent inprimis in proelio ad Cyprum ab Ionibus contra Persarum copias Ol. LXX, 3 commisso [8]). Imo oppresso quo in Milesios flagrabant odio inveterato, eam quum Persae adgrederentur, sexaginta navibus adiuverunt [9]). In pugna ad Mycalen primi Persis relictis ad Graecos transierunt [10]) et Ol. LXXV demum conatu liberandae patriae haud frustrantur [11]). Crudelitatis vero saepius cum virtute bellica coniunctae nulla apud Samios reperiuntur exempla: misericordiam contra testantur et Corcyraeorum liberi quos illi caverunt ne castrarentur aut fame perirent [12]); et Chii aliique insulani ab Alcida Lacedaemoniorum duce Ol. LXXXVIII, 1 male habiti, qui Samiorum monitis leniorem sortem debuisse narrantur [13]). Ipsi vero multum crudelitatis experti sunt non tam bellis, quam seve-

1) Plut. Qu. Gr. VII. Cf. p. 28. 2) Cf. p. 38 sqq. 3) Herod. IV, 138. VI, 13. Cf. p. 46. 47. 4) Herod. VI, 22. 5) Diod. XI, 17. 6) Herod. IX, 90. Diod. XI, 34. 7) Herod. IX, 99. Polyaen. strat. VII, 45. 8) Herod. V, 112. Cf. p. 47. 9) Herod. VI, 8. 10) Herod. IX, 103. Diod. XI, 36. Polyaen. I, 38. 11) Herod, IX, 106. Diod. XI, 37. 12) Herod. III, 48. Plut. de malign. Herod. Cf. p. 28 sqq. 13) Thucyd. III, 32. Cf. p. 70.

riore sub imperio tyrannorum [1]), qui callidissima utebantur ratione. Videtur autem aliqua calliditas Ionum versatilium ingenio congrua, Samiis quoque innata, quam haud raro in ducibus Samiorum deprehendimus et in Cimonis expeditione contra Byzantium, ubi quum de distribuenda praeda consuleretur, Samii milites Persarum res Persis ipsis servitium subituris praeferebant [2]). Virtutem autem quum in suis tum in hostibus celebrasse Samios docet Telesarchus, in Samiorum concione vehementer invectus in Maeandrium, Samiorum imperium qui susciperet indignissimum, nec ulla ex parte Polycratem, tyrannum quidem, sed prudentem deque civitate optime meritum, post mortem calumniari passurus [3]). Docet statua publice in honorem undecim navium collocata, quae ducum proditione Aeace auctore facta, a ceteris militibus relictae, solae pugnam haud deseruerunt [4]): docet publica sepultura qua Archias et Lycopas Lacedaemonii, hostes quidem sed fortitudinis laude insignes, a Samiis sub Polycrate ornati sunt [5]): confirmant denique signa Alcibiadi, Lysandro, Cononi, Timotheo posita [6]). Dum vero Samii in hostibus quoque virtutem celebrant, Samiorum hostes ornant non eos qui de patria bene meruerunt, — hi enim necantur aut ablatis omnibus expelluntur — sed qui patriam prodidisse perhibentur: Persae Theomestorem Samiis tyrannum imponunt, et Phylacum honoribus, agris et pecuniis donant permultis [7]): Athenienses Carystioni proditis omnibus quae Samii contra Athenienses machinati sunt, uni ex tota civitate beneficia contulerunt [8]), eo ingratiores, quo constantius per difficillima Atheniensium tempora [9]) Samii in Atheniensium fide et societate permanserant. Mirabuntur autem qui

---

1) Cf. p. 29 sqq. 2) Plut. Cimon. IX. Polyaen. strat. I, 34. Cf. p. 67. 3) Herod. III, 143. Cf. p. 43. 4) Herod. VI, 14. 5) Herod. III, 56. Cf. p. 39. 6) Cf. p. 75. 7) Herod. VIII, 85. 8) Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 283. 9) Cf. p. 70. sqq.

Samiorum virtutem bellicam et studia reipublicae omnino addicta penitius perspexerunt, eosdem luxuriei, molliori vitae et voluptatibus tantopere indulsisse, quantum apud Athenaeum auctores memoriae prodiderunt. Permulta autem ex illis ad ea pertinent tempora, quibus tota Graecia genuinam exuisse iam videtur indolem, oppressa libertate alienisque moribus in Graeciam invectis. Neque tamen inficias ibo Polycratis tempore et prius etiam Samios rei navalis et commercii studiosissimos, molliore et ad luxum magis prono usos esse vitae genere, quod quidem proverbio *βαδίζειν Ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον* satis elucet: imo priorum temporum testem afferam Asium genealogum [1]), cuius hi versus leguntur:

*Οἱ δ' αὔτως φοίτεσκον ὅπως πλοκάμους κτενίσαιντο,*
*Εἰς Ἥρας τέμενος πεπυκασμένοι εἵμασι καλοῖς,*
*Χιονέοισι χιτῶσι πέδον χθονὸς εὐρέος ἶκον*
*Χρύσειαι δὲ κόρυμβαι ἐπ' αὐτῶν, τέττιγες ὥς*
*Χαῖται δ' ἐῤῥώοντ' ἀνέμῳ χρυσέοις ἐνὶ δεσμοῖς·*
*δαιδαλέοι δὲ χλιδῶνες ἄρ' ἀμφὶ βραχίοσιν ἦσαν,*
— — — *ἤσαντες ὑπασπίδιον πολεμιστήν.*

Hanc molliorem vivendi rationem sensim auctam fuisse nemo ignorat, neque propterea iniuria Heraclides Ponticus Samios mirum quantum luxu corruptos civitatem perdidisse dixerit [2]). Excellebant praecipue Samii placentis conficiendis, quarum genus quum esset rarum nec vile (*πρᾶγμα σπάνιον καὶ πολυτελὲς*) [3]) convivis dabantur [4]), bene tamen distinguendae a simplicioribus illis (*τρωκτοῖς σησάμου τε καὶ μέλιτος*) [5]) quibus Corcyraeorum iuvenes Sami alebantur [6]). Haud inficete igitur Sopater in procis Bacchidis

*Πλακουντοποιὸν ὠνομασμένην Σάμον*

dicit [7]).

Neque

1) Ap. Athen. XII, p. 525. F. et Schweighaeus. ad h. l. 2) Athen. l. c. 3) Pollux. Onom. VI, 11. 4) Plut. de san. tuend. p. 378. 5) Athen. IV, p. 130. D. 6) Herod. III, 48. 7) Athen. XIV, p. 644. C.

Neque pulcherrimarum puellarum infrequentia videtur laborasse Samos, quum Demetrius Phalereus Lampeto meretricem, quae prius Charitoblepharos appellabatur [1]), Demetrius Poliorcetes Myrinen omnium fortunarum suarum participem haberet excepto diademate [2]), quum Bacchis venustissima forma celebritatem sibi conciliasset [3]) aeque atque Nico [4]) et quas supra iam laudavi Aristonica, Oenanthe, Agathoclea [5]). De famosis Samiorum floribus [6]) aliisque rebus quae ad molliorem pertinent vitam supra iam disputavimus [7]).

## §. 5. Res publicae.

Samiorum rempublicam qua ratione constituta et administrata fuerit perscrutantem deficiunt omnino scriptores, ita ut diligenter collectis fragmentis ex antiquitate ad nos perlatis, hoc unum cognoverimus, hic quaestionum licere plus proponere quam solvere. De antiquissimis temporibus aliquid affert Themistagoras [8]): *εἰς δύο φυλὰς Προκλῆς καὶ Τεμβρίων τὴν πόλιν διένειμαν· ὧν τὴν μὲν Χησίαν ὠνόμασαν ἀπὸ τοῦ Χησίου ποταμοῦ παρακειμένου τῇ πόλει· τὴν δὲ Ἀστυπαλαίαν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἐκεῖσε ὄντος ἄστεος.* Phylarum autem duplex est genus, alterum quo designatur locus habitationis, alterum quo certa pars incolarum nulla loci ratione habita. Proclem tamen antiquum illum regem urbem tantummodo bipartitum esse ex loci ratione unicuique elucebit, quare duae tribus *Χησία* et *Ἀστυπαλαία* haec de superiore, illa de inferiore urbis parte accipiendae mihi videntur. Quid vero cum Herodoto [9]), qui Samios *τῆς Αἰσχριωνίης φυλῆς λεγομένους εἶναι* Oasin incoluisse prodit? Haec Aeschrionia ab Aeschrione nuncupata, ad

1) Athen. XIII, p. 593. E. 2) Athen. XIII, p. 593. A. 3) Athen. XIII, p. 594. B. 4) Athen. V, p. 220. F. 5) Plut. Amator. IX. 6) Athen. XII, p. 540. F. 7) p. 15, 16, 35. 8) ap. Etym. M. *Ἀστυπ.* 9) l. III, 26.

quem heroem haec tribus tanquam auctorem relata fuerit [1]), eandemne tenet notionem atque illae? Hic de tali tribu agi quales apud Athenienses novimus, primum in mentem venerit, sed poteris fortasse et hanc Aeschrioniam de certa urbis parte interpretari, allegato Polycrate qui *τριχῇ δασάμενος τὴν πόλιν τοῖσι ἀδελφοῖσι Πανταγνώτῳ καὶ Συλοσῶντι ἔνειμε* [2]). Hasce tres partes Astypalaeam, Chesiam et Aeschrioniam dici posse, primam a Polycrate, alteram a Sylosonte, tertiam a Pantagnoto administratam eo minus quisquam negabit, quo certius Polyaenus arcem Astypalaeam muniisse Polycratem testatus nostrae sententiae suffragium fert [3]). Nec Phylas tantum, sed Phratrias etiam in Samo fuisse docet locus qui de Homero ad Samios accedente agit: Samius enim Homero obviam factus poetam ad Apaturia una cum Samiis celebranda invitat his verbis: *Ὦ ξένε, Ἀπατούρια ἀγούσης τῆς πόλιος, καλοῦσι σε οἱ φράτορες οἱ ἡμέτεροι συνεορτάσοντα* [4]). Phratriae igitur si non antiquissimis temporibus, adfuerunt certe in Samiorum republica, nec potest dubitatio de illis oboriri; nam *Ἀπατούρια*, ut gravissimus ait testis Herodotus [5]), *πάντες Ἴωνες ἄγουσι πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων*; fuit festum Pyanepsione mense per tres dies celebratum idque a singulis *φρατρίαις* et *γένεσι* in honorem *Διὸς φρατρίου* imprimis: primum diem *δορπείαν* a comessando vocabant, alterum *ἀνάῤῥυσιν* a mactando, quippe quo sacra obibant: tertium *κουρεῶτιν* a puellis et pueris, qui quoniam tunc in tabulas *γένους* et *φρατρίας* referri solebant, huius solemnitatis causa habendi sunt [6]). Quae

---

1) Aeschrionis nomen usu venire docet Aeschrion Samius iambographus. Cf. Suid. et Eudoc. Tzetz. Chil. VIII, v. 406 sqq. et in Lycophr. v. 688. Athen. VII. p. 296. F. l. VIII. p. 335. C. 2) Herod. III, 39. 3) Strat. I, 23, 2. 4) Herod. vit. Hom. p. 757. ed. Wessel. 5) l. I, 147. 6) Boeckh. praefat. ad Berol. Lect. catal. aestiv. et hibern. 1819.

cum ita sint, Samiorum populum in φυλὰς et φρατρίας divisum fuisse puto ita quidem, ut δῆμος et γεωμόροι hisce tribubus et phratriis continerentur: γεωμόρους autem nostros illustrant Syracusanorum γαμόροι [1]), οἱ ἀπὸ τῶν ἐγγείων τιμημάτων τὰ κοινὰ διέποντες, quorum res in terra quam possidebant erat posita. Hosce nobiles vocari γνωρίμους [2]) et δυνατοὺς [3]) neminem spero offendet. Sed obiicientur mihi fortasse οἱ τι ἔχοντες [4]), maxime autem οἱ ἐν τῇ πόλει δυνατώτατοι [5]) sententiae a me propositae adversantes. Fuit autem rerum status alius aliis temporibus, ut qui primi agros tenerent et re immobili florerent, dein concessis hominibus e δήμῳ agris, excellere divitiis mallent, haud ignari quanta pecuniam sequeretur vis atque potentia. Sic duas notiones bene inter se cohaerere apparet, neque verba ἐν τῇ πόλει ita sunt premenda, ut γεωμόροις qui *in agris* versantur contraria dicas, sed ad vim, quam in totam civitatem exercuerunt spectare debent: eademque fere ratio est cum τοῖς τι ἔχουσι. Dum regia Samus utebatur civitatis forma, has partes, quarum altera populari statui favebat, altera ditiorum nobiliorumque imperium constitutum volebat, pari sane momento fuisse cogitandum est: sed ut solent pecuniae omnia cedere, haud mirum, quod interfecto Demotele rege, ad Geomoros transiit imperium, inque unius locum iam plures successerunt Γεωμόροι, οἱ προεστῶτες τῆς πόλεως [6]). Nec tamen leniter gubernasse videntur rempublicam [7]), quum confecto bello Megarensi, a Samiorum populo, quem ad mercaturam et rem maritimam a primis inde temporibus pronum populari reipublicae formae favisse consentaneum est, in ipsa

---

1) Herod. VII, 155. Hesych. Henr. Vales. Excerpt. Diod. S. p. 549. 2) Xenoph. Hellen. II, 2, §. 3. 3) Thucyd. VIII, 21. 4) Herod. VI, 22. p. 447. 74. ed. Wessel. ibique intrpp. 5) Thucyd. I, 115. 6) Plut. Qu. gr. LVII. 7) Plut. Nic. II.

curia (*βουλευτηρίῳ*) trucidati sint [1]. Inde penes populum — *δῆμον, τοὺς πλείονας* [2]) — stetit, qui in concione (*ἐκκλησίᾳ*) de republica agere solebat.

Iam quaeritur, qui in democratia muneribus publicis functi fuerint, quos e medio electos esse sive *πάλῳ* sive *χειροτονίᾳ* constat. Laudantur *Ἐφεδέται, ἀρχὴ ἐν Σάμῳ* [3]), quo tamen obscuro nomine nihil proficimus ad magistratus huius naturam perspiciendam. Quid enim obest, quominus ad Geomoros *ἐφεδέτας* referamus, quibus quodammodo gerendae reipublicae cura mandata fuit? Neque certioribus insistimus vestigiis, si ad Prytanes progredimur. Reperiuntur enim in Samiorum republica Prytanes [4]), quos qui Ionum aut Atheniensium tantum proprios magistratus fuisse putet, omnino fallitur, quum Astypalaeae, Syracusis, Tarenti, Regii, Corinthi, Corcyrae, Naucrati, Argis, Eleae, Cyzici, Mileti, Smyrnae, Ephesi, Lebedi, Delphis, Mytilene, Eresi, Naxi, Tenedi, Thasi, Peparethi, Siphni, Rhodi Prytanes exstitisse constet [5]). Prytanum igitur munus omnes prope Graecorum civitates commune habent, sed pro diversa Ionicarum aut Doricarum civitatum natura democraticam vel aristocraticam ferunt indolem, quam quidem omnibus, Prytanibus primam insitam nemo negabit. Qui autem in Samiorum republica *πρυτάνεις* habentur magistratus, ab Atheniensibus fortasse desumpti, utrum antiquis Prytanibus fuerint an recentioribus post Clisthenem constitutis similiores, multum ambigi potest. Antiqui enim Prytanes e nobilioribus electi, rebus gerendis praeficiuntur, quos si in haec remittis tempora de quibus disputamus, post bella praecipue Persica — per tyranni-

---

1) Plut. l. c. 2) Thucyd. VIII, 21, et 73. 3) Hesych. v. *Ἐφεδ.* Fortasse *Ἐφέται* legendum. 4) Chandler Inscr. antiq. P. I, p. 15, 5. 5) Casaub. ad Athen. XV, 19. Panel. de Cistophoris p. 50. Blanchard Mem. des Inscr. T. VII, p. 59. Van Dall diss. V de Prytanib. Morisani Inscriptt. Regin. p. 274. Ez. Spanhem. de Vesta et Prytanib. Vol. V, Thes. Antiqq. Rom. Mem. de l'acad. T. 47. p. 285. sqq.

dis enim tempora unus certe e geomoris subdole aut per vim Samiorum sibi vindicato imperio tyrannus factus, neque δήμῳ neque γεωμόροις magnam gerendae et gubernandae reipublicae concessit licentiam ac potestatem: — sublatos esse dum popularis est status, recte dixeris. Leguntur in decreto posterioris temporis tres Prytanes, nescio an cum duobus Rhodiorum qui annuo fungebantur magistratu conferendi, ita ut tres tantummodo Prytanes summam rerum dicantur gessisse, fortasse e medio τριακοσίων qui in aristocratica reipublicae forma civitatem gubernabant [1]); aut quum tria afferantur nomina, significare potest hic numerus, idque magis probabile, tribus Prytanibus e cetera Prytanum societate electis hoc negotium legationis, de qua l. l. agitur, datum fuisse. Possunt denique ad recentiorum Atheniensium exemplar in democratia suum obtinere locum, concessa iis reipublicae administratione sive πάλῳ sive χειροτονίᾳ creatis, ita tamen ut non pro opulentia et nobilitate sed unicuique civium ad prytanis munus adspirare liceat, alii vero alios excipiant in munere obeundo. Utut fuit, hoc certe liquet e tribubus et phratriis Prytanes quoque esse desumptos. Ceterum quae in republica moderanda prout a diversorum partibus starent Samii, deinceps subsecutae sint mutationes, cum supra iam a nobis expositum sit, satis habemus lectores ad illa remittere, ne denuo iisdem exponendis taedium lecturis faciamus.

## Caput Sextum.

### §. 1. Samiorum lingua.

Ionicae dialecti quattuor secundum variam terrarum et incolarum naturam exstant genera, Caricum scilicet quo Milesii, Myusii et Prienenses

---

1) Thucyd. VIII, 73. Centumne Geomororum unaquaeque trium tribuum dedit?

utebantur, Lydium apud Ephesios, Colophonios, Lebedios, Teios, Clazomenios et Phocaeenses, Chium Chiis et Erythraeis usurpatum, quartum denique Samium [1]). Quum Cares nostrae insulae primos fuisse incolas evictum sit [2]), quumque inter Milesios Prienensesque imprimis et Samios propter vicinitatem commercium haud raro bellicum intercessisse constet: inde iam aliqua Samiae cum Carica dialecto sequitur cognatio, nulla certe nec cum dialecto Chiorum neque cum Lydia. Dum enim hae molliorem quandam exhibent indolem, Samia duriorem et ad Doricam saepius pronam retulerit naturam. Hanc vero sententiam confirmari gripho Samiarum virginum [3]), quem Schweighaeuserus Dorica lingua compositum recte animadvertit, haud dixerim: imo adversor interpreti addenti, in Samiorum insula quamquam Ioniae proxima, inde a Carum temporibus Doricam linguam vulgo in usum abiisse. Ut enim de poesi taceam, unde nihil certe colligi poterit de vulgari sermone, ipse griphus omnino Dorica lingua compositus esse potest, neque tamen propter Doricam Samiorum dialectum, sed propter primum epigrammatum et griphorum auctorem Cleobulum Lindi in Rhodiorum insula, ubi Dorica lingua invaluerat, natum, ita ut inde hoc carminum genus Doricam aliquando retinuisse videatur dialectum. Fuit igitur haec lingua qua Samii utebantur nequaquam Dorica, sed Samia: num cum Dorica aliquam similitudinem habuerit haud liquet. Quae enim afferuntur Etymologi M. scriptori v. *Δεύνυσος· ὁ Διόνυσος. Ἀνακρέων πολλὰ δ' ἐρίβρομον Δεύνυσον, τοῦ ί τραπέντος εἰς ἐ γίνεται Δεόνυσος· οὕτω γὰρ Σάμιοι προφέρουσι· καὶ συναιρέσει Δεύνυσος, ὡς Θεόδοτος Θεύδοτος* [4]), et Hesychio v.

1) Herod. I, 142. 2) Pausan. VII, 4. Strab. XIV, p. 438. X, p. 336. Herod. I, 171. Athen. XV, p. 672. C. cf. p. 11. 3) Athen. X, p. 451. 4) Cf. Prideaux Marmor. Oxon. p. 79. Gregor. Corinth. p. 358. ed. Schaefer ibique intrpp. et p. 659.

*ἀποφλᾶσαι· ῥογχᾶσαι. Κρῆτες καὶ Σάμιοι·* — quam quidem vocem aut a Samiis qui Cydoniam incoluerunt, ex Cretica dialecto depromptam, aut a Samiis illatam Cretensium linguae dixeris — haec, inquam, nihil fere ad nostram quaestionem solvendam faciunt. Unum addam vocabulum, quod apud Samios singularem obtinuit notionem, *νύμφην· Σάμιοι καὶ τὸ ἀνάμεσον τῶν γυναικείων αἰδοίων νύμφην καλοῦσι* [1]). Nec nobis ad inscriptiones confugere licet, quum quae ad Samum pertineant aut a Rhodiis Dorica aut a regibus vulgari lingua compositas esse pateat. Samios primos Graecorum *πολυγραμμάτους* vocat Hesychius [2]); quippe Callistratus ipsis viginti quattuor litteras invenerat, quae inde Athenas quoque archonte Euclide migrasse dicuntur [3]).

§. 2. Litterae.

Quam circa artem quaesiverunt laudem, eandem quoque propter litterarum studia mereri videntur. Antiquissimos quorum ad nos perlata est mentio, Samiorum poetarum dico Herophilen Sibyllam Samiam, Asium et Creophylum.

Ol. XXIX *Herophile* Sibylla Samia floruisse narratur [4]); apud Lactantium *Φυτὼ* audit, de qua Eratosthenes in veteribus Samiorum Annalibus [5]) reperisse se scriptum profitetur [6]). Laudatur praeterea Clementi Alexandrino [7]) et Suidae [8]): a. u. DCCLXXXV sub Tiberio Sami carmina eius quaesita sunt [9]). Accedo ad

*Asium* Amphiptolemi filium, *τὸν τὰ ἔπη ποιήσαντα* [10]). Composuisse eum carmen epicum genealogici argumenti quum ex omnibus relictis

1) Phot. v. *Νυμφ.* Suid. 2) v. *Σαμίων ὁ δῆμος.* 3) Suid. *Σαμ. ὁ δῆμ.* Erasm. Adag. Samii litterati. 4) Euseb. Chron. ad Ol. XXIX. Syncell. p. 213. A. 5) cf. p. 1. 6) Lactant. p. 25. 7) Strom. I, p. 244. 8) v. *Σιβύλλαι.* 9) Tacit. Annal. VI, 12. 10) Pausan. II, 29. V, 17.

eius fragmentis [1]), tum ex ipso Pausania Ἄσιον γενεαλογῆσαι narrante [2]) satis superque elucet. Allatâ ubi de fabulis disputatum est, genealogiâ quam circa Sami originem contexuit Asius [3]), nihil superesse videtur nisi ut moneam, quae exstant poetica fragmenta, eorum maius Athenaeo [4]) deberi supra nobis laudatum, minus Pausaniae [5]):

Ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Circa eadem Cyclicorum tempora *Creophylus* Οἰχαλίας ἅλωσιν cecinisse fertur [6]), carmen haud ita malum, quod alii Homerum a Creophylo hospitio exceptum [7]) illi dono dedisse putarent [8]). Adiiciam quartum poetam *Prodicum*, de quo Clemens Alexandrinus [9]) haec refert: Τήν τε εἰς Ἅιδου κατάβασιν τοῦ Ὀρφέως Προδίκου τοῦ Σαμίου εἶναι λέγουσι.

Ab Ol. LXXVII — XCIV constituenda est *Choerili* aetas Samii [10]), poetae epici bene distinguendi a Choerilo tragico, Aeschyli aequali, et a cognomine malo poeta Iasensi, qui Alexandrum comitatus est Magnum. Consuetudinem iniit cum Herodoto, Lysandro [11]), et Archelao Macedonum rege. Cecinit carmen, Περσηΐς, cuius summa erat Ἀθηναίων νίκη κατὰ Ξέρξου [12]). Recte enim sentiebat, deflorescente iam epica poesi, novum quoddam argumentum requiri, quo legentes denuo allicerentur, amore fabularum et pietate in hominum animis iam extincta. Veterem igitur quoad formam secutus est epicam linguam; fieri tamen non poterat, quin novo argumento ad recens cogitata recentioraque verba duceretur, et missa saepius Homerica lingua magis tropico uteretur dicendi

---

1) Pausan. II, 6. IX, 23. 2) Pausan. IV, 2. 3) Pausan. VII, 4. 4) l. XII, p. 525. F. 5) l. VIII, 1. 6) Callimach. ap. Strab. XIV, p. 439. Eustath. ad Il. B. p. 250. 7) Strab. l. l. Clem. Strom. VI, p. 253. Sext. Empir. I, 2. 8) Herodot. vit. Hom. p. 759. ed. Wessel. Suid. v. Κρεώφυλ. 9) Strom. I, p. 344. 10) Euseb. Chron. Ol. LXX. cf. Naeke Choeril. Sam. 11) Plut. Lysand. XVIII. 12) Suid. v. Χοιρίλ.

genere, ne res poesi minus aptae taedium legentibus afferrent. Quam Suidas tradit narrationem, pro singulis versibus staterem aureum nactum esse, haec non ad nostrum, sed ad ignobilem istum Alexandri pertinet comitem. Nostrum vero Athenienses quorum gloriae tam bene prospexerat, tanto constat in honore habuisse, ut una cum Homero in scholis carmina eius recitanda esse decretum ferrent. A Platone Antimacho inferior [1]), ab Euphorione contra superior [2]) aestimatur, ab Aristotele vituperio afficitur [3]), nec non ab Alexandrinis. Epigrammatis in Sardanapalum auctor idem putatur, neutiquam tamen Choerilei metri inventor ad tragicum veterem deducendi.

*Aesopi* iam λογοποιοῦ, qui sub Croeso fabulas concinnasse traditur, nomen hic locum tenebit, Samii nescio an Thracis. Xanthi Samii servus quum fuisset, ab Iadmone altero domino propter eruditionem libertate donatus est [4]). Plurimas fabularum quae hodie ipsius nomine circumferuntur, longe posteriore aetate in lucem prodiisse satis demonstrarunt viri docti. Nec praeterire licet *Aeschrionem* iambographum Aristotelis familiarem et Alexandri M. comitem [5]), cuius Choliambicum carmen Athenaeo [6]), Heroica carmina Suidae et Eudociae laudantur [7]).

A poetis ad philosophos decurrentes primum in *Hermodamantem* incidimus, Creophyli poetae nepotem, quem Sami audivisse fertur Pythagoras [8]). Omnium autem maxime inclaruit *Pythagoras* Ol. LX, qui sic notus est ut quaedam de eo addere incommodum videatur. Pythagorae adiungo uxorem *Theano*, quo ex coniugio orti sunt *Telauges*,

---

1) Procl. comment. in Plat. Tim. I, p. 28. 2) Jacobs Anthol. T. II, p. 218. Cratetis σκωπτ. 3) Topic. VIII, 1. p. 372. vol. III. Buhl. 4) Herod. II, 51. cf. Plut. de sera num. vindict. XII. Heracl. Pont. Σαμ. πολ. ibique intrpp. Suid. v. Αἴσωπος. 5) Suid. et Eudoc. Tzetz. Chil. VIII, v. 406 sqq. et in Lycophr. v. 688. 6) l. VII, p. 296. F. l. VIII, p. 335. C. 7) cf. Naeke Choeril. Sam. p. 192, 193. 8) Suid. v. Πυθάγ.

si verum est, magister Empedoclis, libris quattuor *περὶ τῆς τετρακτύος* celebratus [1]) et *Myia* [2]). Ex eadem disciplina prodiit *Arignote* philosopha Pythagorica, quae Bacchica [3]), de Cereris mysteriis et Epigrammata scripsisse fertur [4]). Huc advoco *Phocum*, cuius nautica astrologica Thaleti falso tribuitur [5]), fortasse Solonis aequalem, ad quem hic carmen de tyrannide sibi oblata scripsit [6]). *Melissum* hominem in rebus philosophicis non minus eruditum quam rei militaris peritum. Parmenidis fuit discipulus et floruit brevi ante bellum Peloponnesiacum [7]). *Aristarchum* denique adiungam, qui quum terram moveri sole immoto primus pronuntiasset, a Cleanthe violatae religionis accusatus est [8]). In Melissi aetatem referendus videtur *Eugeon ἀρχαῖος συγγραφεὺς πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῖ πολέμου* [9]), si non princeps, certe pater scriptorum Samiorum. In primis autem inclaruit *Duris* Ol. CXX. Ptolemaei Philadelphi tempore, postquam Olympiae in puerili pugilatu victor Ol. CVII prodiit [10]). Ipsius historia unde initium ceperit quoad Macedonica optime docet Diodorus, secundum quem ab Iasonis Pheraei nece Ol. CII, 3. *Δοῦρις ὁ Σάμιος ὁ ἱστοριογράφος τῆς τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίας, ἐποιήσατο τὴν ἀρχὴν* [11]). Etiamsi autem nimis accurate Duridis *ἱστορίαι* ab eiusdem scriptoris *Μακεδονικοῖς* seiunguntur, quam ut haec pro parte magni illius operis accipi posse videantur, etiamsi eundem librum historiarum et Macedonicorum ci-

1) Suid. v. *Τηλαυγ.* 2) Suid. v. *Μυῖα.* cf. Menag. hist. mulier. philos. 3) Clem. Alex. Strom. IV, p. 381. 4) Suid. v. *Ἀριγνώτη.* 5) Diog. L. Thal. I, 23. 6) Plut. Sol. XIV. 7) Aristot. Phys. I, 2. Cic, Acad. pr. II, 37. Diog. L. IX, 24 ibique Menag. Plut. Pericl. XXVI. XXVII. Brandes Commentat. Eleat. 8) Diog. L. VIII, 85. et Menag. observatt. Plut. de facie in orb. lun. Archimed. in Psammit. p. 449. Sext. Empir. advers. Mathem. p. 410. 9) Dionys. Halicarn. de Thucyd. hist. iud. c. 104. p. 817. Creuzer de arte hist. Gr. p. 65. 10) Pausan. VI, 13. 11) l. XV, 60. Refero enim *τῆς τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίας* ad *ἱστοριογράφος*, et Diodorum initium Macedonicorum sic definiisse, non totius operis puto.

tatum [1]) ei sententiae, ut vario nomine de uno eodemque agatur opere, adversatur: facile tamen eo inclinaverim ut Macedonica aliquam sectionem totius operis quod *ἱστορίαι* vocabatur, iudicem, aeque atque *Ἑλληνικά*, nisus etiam Schol. Aristoph. in Vespas v. 236. et Suida [2]), qui alterum *Λιβυκῶν* librum laudat a nemine pro singulari Duridis opere quantum scio habitum. De ipsius fragmentis quantum coniicere licet, rerum copia earumque pusillarum abundat, remotissimus a graviore illo scribendi genere, sed prout aut res aut fontes eum adiuvabant, felicior in rerum narratione fuit, et ut hoc uno utar, libro vigesimo secundo morum comparationem variorum regum haud malam instituit [3]). Inseruit historiae et carmina, siquidem locus ferebat, haud inepte, nobis quoque gratissimum faciens, quum vigesimo secundo eius libro ithyphallicum carmen in Demetrium Poliorcetem debeamus [4]): neque in septimo libro oratione mala utitur [5]). Magnum praeterea locum exscripsit Athenaeus ex decimo sexto libro [6]). Critica arte omnino destitutus [7]), in lepidis rebus sibi placet [8]) et aetati, cui quidem novissimarum rerum, non gravissimarum curiosae supra quam par est indulsisse videtur. Habent quidem narrationes e vita domestica familiarique depromptae haud raro magnum in diiudicanda natura humana momentum et tum suum obtinent locum: neque tamen hoc in Duride, qui in rebus ad cenam, coniugium, vo-

---

1) Athen. X, p. 434. E. ex septimo *ἱστοριῶν* libro. Athen. IV, p. 167. C. ex septimo *Μακεδονικῶν* libro. 2) v. *Λαμία* cf. Tzetz. ad Lycophr. v. 847. 3) Athen. XII, p. 535. E. 4) Athen. VI, p. 253. D. 5) Athen. X, p. 434. E. 6) l. XII, p. 542. B. 7) Suid. v. *Πανύασις*. Plut. Alex. M. XLVI. Plut. Demosth. XXIII contrarium *δοκιμωτάτοις συγγραφεῦσι* esse Duridem probat. Harpocr. *Ἀσπασία*. Plut. Pericl. XXVIII. Clem. Alex. Strom. I, p. 247. Plut. Dem. XIX. 8) Ex decimo septimo libro Athen. IV, p. 155. C. ex vigesimo tertio Athen. XII, p. 546. C. ex libro secundo Athen. XIII, p. 560. B. ex libro nono Athen. XIII, p. 606. C. ex libro septimo Macedonicorum Athen. IV, p. 167. C. ex decimo quinto Macedonicorum Schol. ad Apollon. Rh. IV, 264. cf. Tzetz. ad Lycophr. v. 1378. ex l. quarto Athen. VI, p. 249. C. Cf. Schol. ad Apollon. Rh. I, 211, 498. II, 1253. Etym. M. v. *Κίθαρος* et *Ἰηΐε*. Tzetz. ad Lycophr. v. 103, 143, 183, 513, 851.

luptatem, simileque argumentum spectantibus profusius disserit [1]), in enarrandis vero rebus gestis neglecta historiae lege verum pulchro postponit et poetico colore depingit homines et facta [2]). Accedo propterea omnino Plutarcho, Duridem iudicanti *οὐδ᾽ ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόςεστιν ἴδιον πάθος, εἰωθότα κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας* [3]), nec tamen calculum nego Ciceroni [4]) quaerenti, „num idcirco Duris Samius *homo in historia diligens* quod cum multis erravit, irridetur?“ Scripsit et *Ὥρους Σαμίων* [5]), ut recte emendavit Schweighaeuserus vocem *ὅρους* [6]), quam tamen haud cum Athenaei interprete ubique locorum temere mutatam velim. Ut enim de Aethlii libri nomine taceam, quod quale sit constituendum multum ambigi potest, quum quae novimus fragmenta ad fruges tantum pertinentia, titulo *ὧραι*, *anni tempestates*, magis faveant quam nominibus *ὅροι* et *ἄροι*: de ceteris quoque a Schweighaeusero dictis *Ὡρογράφοις* res nondum absoluta est, quum alios quidem annales scripsisse eluceat, aliis contra *ὅροι* non minus bene tribuantur quam *ωροι*. *Ὅρους* enim non de Samiorum terra interpretor, sed ad lites illas Samiorum et Prienensium propter agri vicinitatem exortas spectare dico [7]). Nam ut ius Samiorum in his litibus firmaretur, scriptores multa ex vetere historia repetere debebant, indeque res varii argumenti fluxerunt quas libros illos continuisse narrat Athenaeus. Hoc autem imprimis cave, ne qui librorum auctoritate et rerum argumento comprobantur *Ὡρογράφοι* cum *ξυγγραφεῦσι* bonae notae conferas. Inferiores enim aetatis omnes inferiorem quoque referunt aetatem, eidemque submittendi sunt iudicio quod de Duride, illorum fortasse opti-

---

1) Plut. Phoc. IV et XVII. Agesil. III. Alex. M. XLVI. Alcib. XXII. 2) Plut. Alcib. XXXII. Pericl. XXVIII. 3) Plut. l. l. tacente Thucydide, Ephoro, Aristotele *μᾶλλον ἔοικε δεινῶσαι τὰς τῆς πατρίδος συμφόρας ἐπὶ διαβολῇ τῶν Ἀθηναίων*. 4) Ad Attic. VI, 1. 5) Diog. L. I, 119. Eurip. Schol. ad Hecub. v. 934. et Alcest. v. 253. Athen. XII, p. 525. C. p. 532. F. XIII, p. 560. F. XV, p. 696. E. 6) Animadv. ad Athen. IV, p. 175. C. 7) Chandler Inscr. antiqq. P. I, 38, 1. 2. 3.

mo, tulimus: quod hi annalium scriptores ad annorum seriem religiosi narrationem rerum adstrinxerunt, sed plura quae in priora tempora cadebant posterioribus in libris retulerunt, recentiorum rerum mentione in primo iam libro facta [1]). Iam quaerendum est de Duridis libris circa Agathoclem, qui mihi quidem non ad magnum illud opus *ἱστοριῶν* pertinuisse videntur et propter nominis diversitatem [2]), et propter rem minoris quidem ambitus, a Duride tamen, cuius decimus liber laudatur Athenaeo [3]), uberius et enucleatius expositam, quam universalis historiae ratio ferre potest. Librum *περὶ νόμων*, ceteris fortasse praestantiorem, laudat Etym. M. v. *Θώραξ*, in quo quidem *περὶ ἀγώνων* (Tzetz. ad Lycophr. v. 613. Phot. Lex. v. *Ἀγὼν* et v. *Σελίνου στέφανος*) disputatio instituta fuerit. Tribuitur quoque Duridi *περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους* liber omnibus quos scripsit certe inferior, quum destitueretur facultate critica et ingenio ad has praestantissimas fabulas percipiendas formato [4]). Librum *περὶ ζωγραφίας* nostro Duridi immerito tribui puto [5]).

Fratri autem longe cessit *Lynceus Σάμιος, γραμματικὸς, Θεοφράστου γνώριμος, ἀδελφὸς Δούριδος τοῦ ἱστοριογράφου, τοῦ καὶ τυραννήσαντος Σάμου· σύγχρονος δὲ γέγονεν ὁ Λυγκεὺς Μενάνδρου τοῦ κωμικοῦ καὶ ἀντεπεδείξατο κωμῳδίας καὶ ἐνίκησε* [6]). Scripsit *Αἰγυπτιακὰ* [7]) eodem sane genere quod in fratre deprehendimus rerum componendarum, *ἀπομνημονεύματα* [8]), *ἀποφθέγματα* haud inficeta [9]), *τέχνην ὀψωνητικήν* [10]) et quae huic respondent *τὸ δεῖπνον τῆς Λαμίας* [11]), *τό τε Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως δεῖπνον καὶ τὸ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως* per *δειπνητικὰς ἐπιστολὰς* ad

1) Hanc sententiam videntur tueri varii *ὅρων* loci ab Athenaeo laudati, a Schweighaeusero ad unum omnes in *ὧροι* mutati, quum severius in examen vocaveris. 2) Athen. XIII, p. 606. E. XIV, p. 618. B. Tzetz. ad Lycophr. v. 772. 3) l. XII, p. 541. F. 4) Athen. V, p. 184. D. XIV, p. 636. F. Talis liber si aderat de tragoedia eiusque principibus, Duridis fratrem potius quam Duridem auctorem poterat habere. 5) Diog. L. I, 38. 6) Athen. VIII, p. 338. D. Suid. v. *Λυγκεύς*. 7) Athen. IV, p. 156. B. 8) Athen. VI, p. 248. D. X, p. 434. D. 9) Athen. VI, p. 245. A. VIII, p. 338. D. 10) Athen. VI, p. 228. C. VII, p. 313. F. 11) Plut. Demetr. XXVII. Athen. III, p. 101. E. IV, p. 128. B.

Hippolochum Theophrasti discipulum missas [1]): duos certe de Menandro libros [2]) et epistolas permultas varii argumenti, ita tamen comparatas ut, nisi aliena sint quae animadvertit in epistolis ad Posidippum et Diagoram [3]), haud male tractasse et aestimasse veterum libros conieceris.

Deflecto ad *Dionysium* Samium *κυκλογράφον* [4]). Operis *περὶ κύκλου* [5]) Athenaeus quaedam e sexto libro deprompsit: *Διονύσιος δ' ὁ Σάμιος ἐν τοῖς περὶ κύκλου, τὸ Ὁμηρικὸν κισσύβιον κυμβίον ἔφη, γράφων οὕτως· καὶ αὐτὸν Ὀδυσσεὺς ὁρῶν ταῦτα ποιοῦντα, πληρώσας τὸν οἶνον κυμβίον δίδωσι πιεῖν*: et mutatis paululum verbis: *Διονύσιος δ' ὁ Σάμιος ἐν ἕκτῳ περὶ τοῦ κύκλου, τὸ αὐτὸ οἴεται εἶναι κισσύβιον καὶ κυμβίον ἀκράτου, ὤρεξε τῷ Κύκλωπι* [6]). Qualis autem fuerit *κύκλος* ille docebit Diodorus [7]): *οὐ μὴν ἀλλ' ἡμεῖς εὑρίσκοντες πολλοὺς μὲν τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ τῶν μεταγενεστέρων, μνήμην πεποιημένους αὐτῶν, ἀναγράφειν τὰς πράξεις πειρασόμεθα ἐν κεφαλαίοις, ἀκολούθως Διονυσίῳ τῷ συντεταγμένῳ τὰ περὶ τοὺς Ἀργοναύτας καὶ τὸν Διόνυσον καὶ ἕτερα πολλὰ τῶν ἐν τοῖς παλαιοτάτοις χρόνοις πραχθέντων·* et l. III, 65.66. *Διονυσίῳ τῷ συνταξαμένῳ τὰς παλαιὰς μυθοποιΐας· οὗτος γὰρ τά τε περὶ τὸν Διόνυσον καὶ τὰς Ἀμάζονας, ἔτι δὲ τοὺς Ἀργοναύτας καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον πραχθέντα καὶ πολλ' ἕτερα συντέτακται.* Neque dissentit Schol. ad Apollon. Rh. I, v. 256. et IV, 119. eiusdem Dionysii secundum Argonauticorum librum laudans, neque dubito quin quem de eodem loco ad l. IV, 177 citat Schol. Mitylenaeum, Samium rectius intelligam [8]). Quibus locis accurate perlectis, nemo credo cum doctissimo Creuzero Dionysium Milesium logographum et Diodoro auctorem narrationis fuisse existimabit [9]), sed de Alexandrinae aetatis

---

1) Athen. l. c. 2) Athen. VI, p. 242. B. 3) Athen. XIV, p. 652. D. de epistolis v. Athen. indd. Harpocr. v. *Ἰθυφαλλ.* 4) Schol. ad Pind. Isthm. III, 4, 104. 5) Athen. IX, p. 477. D. 6) Athen. IX, p. 481. E. *Κυκλῶπος* falsa est lectio. cf. Meurs. ad Hellad. p. 39 qui tamen in locis citandis parum accurate versatus est. 7) l. III, 52. 8) Cf. Schol. ad Apollon. Rh. II, 906. II, 967. 9) Creuzer de arte hist. Gr. p. 76.

Dionysio Samio hic agi habebit persuasum. Nam Dionysium Milesium Cyclum historicum composuisse [1]) etiamsi nemo negabit, tamen quum ipsis verbis Diodori, tum aliis causis ad Dionysium Samium ferimur. Dionysius enim Halicarnasseus Herodoto primo laudem rerum cum arte et episodiis compositarum tribuit nulla Dionysii facta mentione [2]). Dionysium autem, ex quo Diodorus hausisse se profitetur, genere quod nostrates dicunt pragmatico excellere [3]) constat, neque immerito nomine pragmatici ab ingeniosissimo Creuzero ornatur [4]). Quid? Potuitne Dionysius Halicarnasseus talem scriptorem silentio praeterire, si ad antiqua illa pertinebat tempora? Igitur de Dionysio Milesio, quem Diodori fontem esse putat Creuzerus, haud cogitandum, sed de Samio; Samius est Cyclographus aetatis Alexandrinae, non pragmaticus logographus eius aetatis, ubi ars scribendi primum excoli coepit [5]). Altera autem causa cui nostra innititur sententia, est permutatio Dionysii Periegetae cum Dionysio Samio; quod enim cum Dionysio Periegeta a nonnullis scriptoribus [6]) ita confundi potuit, ut *οἰκουμένης περιήγησις* Samii iudicaretur, id certissime docet, hic non de antiquissimo illo Dionysio Milesio agi, verum de Samio, cuius genus scribendi ab illo Periegetae haud multum abhorruerit. Dionysius igitur Samius ante tempora Diodori vixit et ex Dionysii Milesii cyclo ipsi haud incognito, librum *περὶ κύκλου* sermone pedestri conscripsit, quo de rebus mythicis ratione pragmatica disserebatur. Bassarica, carmen Dionysiacum, ei quoque tribuuntur [7]), quae quidem alii ad Dionysium Periegetam alii ad Samium retulerunt; de quo audias Eustathium, *τὰ δὲ Βασσαρικὰ διὰ τὴν τραχύτητα*

---

1) Heyne ad Apollod. p. 980. 2) De Thucyd. iudic. VI, p. 819. sqq. 3) Creuzer p. 88. 4) Creuzer p. 131. 5) De hac Dionysii Samii cum Dionysio Milesio confusione acute egit Boeckh. Expl. ad Pind. Pyth. I, 62. Voll. II, P. II, p. 233. 6) Suid. v. *Διονύσ.* Meurs. ad Hellad. p. 39. 7) Suid. v. *Διόνυσ.* Steph. Byz. *Ἔαρες* ubi versus depromptus legitur.

*οὐκ ἄξια τούτου κριθέντα εἰς τὸν Σάμιον ἀνηνέχθησαν Διονύσιον.*

Incertae aetatis minorisque momenti sunt quos iam nominabo scriptores, *Lamiscus συγγραφεύς* [1]), et scriptores qui Annales Samiorum composuerunt, *Alexis* [2]), *Aethlius* [3]), *Menodotus* [4]); addam quos falsarius in libro de fluminibus inter Plutarchi opera relato finxit scriptores Samios, *Agatharchidem* qui in secundo rerum Persicarum laudatur Plutarcho [5]), cuius simul *Φρυγιακὰ* citantur [6]). *Agathoclem ἐν τῇ Πεσσινουντίων πολιτείᾳ* apud Plutarchum [7]) commemoratum: *Agathonis* secundum librum *Σκυθικῶν* [8]), eundemque *περὶ ποταμῶν*, *Nicanorem* denique *περὶ ποταμῶν* [9]). Deperditi quidem sed genuini scriptoris *Aristidis* mentionem facit Gellius [10]): Laudantur *Evanthes* [11]) et *Pythocles* Italicorum libris notus, tertium memorante Plutarcho [12]), quartum Clemente Alexandrino [13]), *τρίτον* porro *γεωργικῶν* laudante illo [14]), *τρίτον περὶ ὁμονοίας* hoc [15]): *Epaenetus* poeta qui rem poesi neutiquam dignam carmine celebravit, quum *ὀψαρτυτικὸν* de condimentis caneret [16]), et *περὶ ἰχθύων* [17]): *Hermias*, Hermodori filius [18]). *Pausimachus* terrarum historiam concinnavit [19]): *Asclepiades* [20]), *τὸ Σάμου κλέος* vocatus ne ignobilis quidem videtur fuisse poeta [21]).

§. 3.

---

1) Palaephat. fab. I, p. 3. Voss. de hist. gr. III, p. 383. 2) Athen. XIV, p. 562. C. XII, p. 540. D. XIII. p. 572. F. cf. Antigon. Caryst. c. 732. ed. Beckm. 3) Athen. XIV, p. 560. D. p. 653. F. cf. Etym. M. v. *Νένωται*. Clem. Alex. Protr. p. 22. 4) Athen. XV, p. 672. A. p. 673. D. Athen. XIV, p. 655. A. 5) Parallel. II. Xerxes. 6) Auct. de flum. Voss. de hist. gr. III. p. 316. 7) De flum. 8) Auct. de flum. Busiris XXXVIII. Voss. l. c. 9) Auct. de flum. Eurot. 10) Noct. Att. II, 10. cf. Voss. III, p. 331. 11) Plut. Solon. XI. Voss. p. 364. 12) Parallel. XIV. 13) Strom. I, p. 400. 14) Parallel. XLI. 15) Protr. p. 36. cf. Voss. p. 410. 16) Athen. II, p. 58. B. III, p. 88. C. VIII, p. 299. D. VII, p. 297. C. VII, p. 304. E. VII, p. 312. B. IX, p. 371. F. IX, p. 387. E. XIV, p. 662. E. 17) Athen. VII, p. 328. F. 18) Athen. XIII, p. 606. C. 19) Wernsd. poet. lat. min. V, 2. Avien. 20) Theocrit. Idyll. VI, v. 40. 21) Mosch. Idyll. III, 96. Tzetz. ad Lycophr. v. 315, 886.

§. 3. Cleruchi Athenienses Samum missi.

Ol. CVII, 1. duo millia Cleruchorum, inter quos etiam Neocles Epicuri pater recensetur, Athenis Samum sunt missi, ne Athenae nimia incolarum pauperiorum potissimum premerentur frequentia [1]. In tempore constituendo maxime sequor Boeckhium [2]) qui Philochoro ad Dionys. in Dinarch. p. 118. Sylb. adsentiri mavult, quam cum Schol. Aeschin. p. 731, vol. III Reisk. Ol. CIV, 4. archonte Nicophemo cleruchiam Samum mittere. Diodorus [3]) neutri calculum adiicit, quum ab expulsis Samiis usque ad Ol. CXIV reductos Samios quadraginta tres annos computet; sed vitio laborare monuit Wesselingius ad h. l. Neque multum ad hunc numerum chronologicum accuratius constituendum confert Pausanias l. VI, c. 13, qui Duridem vicisse testatur, cum Samii insula eiecti essent. Huc etiam pertinent quae Athenaeus [4]) Demadi dicta tribuit, *τὴν Σάμον ἀποῤῥῶγα τῆς πόλεως*.

§. 4. Tempora Macedonica.

Neque Philippus Macedonum rex, quum rerum Graecarum omne fere sibi vindicasset imperium, Samum Atheniensibus eripere conatus est [5]). Alexandrum Magnum Atheniensibus insulam liberam et florentem reliquisse, ut patris vestigia sequeretur, narrat Plutarchus [6]). Abhorret Diodorus [7]), Alexandrum tradens paulo ante mortem omnes Graecarum civitatum exules reducere constituisse, eamque rem alios laudasse, alios moleste tulisse. Athenienses enim ob Cleruchos Samum deductos insulam missam facere nolebant;

---

1) Strab. XIV, p. 439. Heracl. *πολιτ.* X. Diog. L. X. s. 1. Diod. S. XVIII, 8. Aeschin. in Timarch. p. 78. Zenob. II, 28. 2) De Athen. oecon. T. I, p. 460. 3) l. XVIII, 18. 4) l. III, p. 99. ibique intrpp. 5) Diod. S. XVIII, 56. Plut. Alex. M. XXVIII. 6) Alex. M. XXVIII. 7) l. XVIII, 8.

quum vero illius maximis opibus resistere non possent, quiete in praesentia usi sunt, donec tempus adveniret, quod ipsorum conatibus magis faveret. Cui rei si fides haud recusetur, aliud Alexandrum aliis vitae temporibus sensisse dixeris; eum tamen quae volebat non perfecisse inde videbis, quod Sami negotium ad reges referendum Antipater Ol. CXIV, 2. censebat [1]). Perdiccas vero Samiis urbem agrosque reddidit et per triginta annos extorres in patriam reduxit [2]). Quae vero Perdiccas in Samiorum commodum iam constituerat, ea Polisperchon Ol. CXV rescidit. Polisperchon enim in Macedonia regum tutor, Cassandrum infirmaturus magnamque praeter gloriam multorum non postremi nominis appetens societatem, cum ducibus civitatum Graecarum legatos arcessivit, bonumque animum habere iussis democratias restitutum iri spondet, ac ratum ea de re decretum legatis tradit,

*Σάμον δὲ δίδομεν Ἀθηναίοις, ἐπειδὴ καὶ Φίλιππος ἔδωκεν ὁ πατήρ* [3]).

Hinc utrum per contentiones quae inter duces et successores Alexandri M. flagrabant, ab Atheniensium parte steterit, ut quibus illa respublica adhaerebat, iisdem neque ipsa subsidia denegaret, an cui ducum Asiae minoris imperium contigit, eiusdem subiecta fuerit dominationi, difficile est in hoc auctorum silentio diiudicatu.

Ol. CXVIII, 2. quum Demetrius ad Salaminem in Cypro Ptolemaeum Aegypti regem devinceret, medium ordinem Demetrii minimae naves tenebant, ducibus Themisonte Samio et Marsya rerum Macedonicarum scriptore [4]). Circa haec tempora ponendam puto Duridis scriptoris imperium, si quod praefectus Samo obtinuit [5]): nam mihi quidem silentio graviorum de Duride auctorum

1) Diod. S. XVIII, 18. 2) Diod. S. l. c. et Wessel. ad h. l. Diog. L. X, 1. 3) Diod. S. XVIII, 56. 4) Diod. S. XX, 50. 5) Athen. VIII, p. 397. D. Suid. v. *Λυγκεύς*.

337

hanc ipsam rem fieri satis suspectam haud reticebo. Lysimachus quum Asiam minorem occupasset, vetus Prienensium cum Samiis de Baginetide s. Batinetide lis denuo in iudicium coram Lysimacho vocata est. Agros enim in Prienensium confinio, *τὸ Κάριον χώριον* [1]), *τὴν Βαγινητίδα χώραν* [2]), et *Δρυοῦσαν* [3]) antiquissimis occupaverant Samii temporibus, quos quum frustra repetiissent Prienenses, orta sunt bella illa cum Samiis Prienensia, quorum prius *ἐπὶ δρυΐ* gestum fuisse [4]), alterum etiam acerbius Sami expugnatione a Pericle facta finitum esse constat. Locum *Δρυοῦσαν* cave permutes cum fabuloso illo insulae nomine, de quo supra disputatum est: *Δρύουσα* enim in Prienensium terra vocabatur regio *ἐπὶ δρυΐ*, clade illâ, quam Prienenses a Samiis perpessi sunt, satis celebrata [5]). Epistola Lysimachi ad Senatum Populumque Samiorum legitur in Chandleri Marmor. Oxon. II, 25, satis bene explicata, nisi quod l. 4. pro *ἄμφω κεκτηκότες* coniecerim *ἠμφιςβητηκότες* et l. 8. voci *χρόνους* praefero *λόγους*.

Legati enim acesserunt ad Lysimachum quum Prienensium tum Samiorum, causam de Baginetide regione coram ipso acturi: Quid mirum, quod utrique omnibus rebus, etiam speciosis tantum suae causae adminiculum afferre conarentur? Videntur tamen Prienenses suo iure hanc terram repetiisse, quum documentis a scriptoribus depromptis aliisque testimoniis confirmarent, antiquissimis temporibus Baginetidem regionem ipsorum fuisse per sex annos quippe Samii plerique, postquam haud ad se hanc terram pertinere audivissent, relicta Baginetide in patriam Samum rediissent [6]): Lygdamin dein, Naxiorum tyrannum, Samiorum quem

---

1) Chandler Inscr. antiqq. P. I, p. 15. XXXVIII, 2. 2) Chandler l. c. Chandler Marmor. Oxon. II, 25. 3) Chandler Inscr. antiqq. P. I, p. 15. 4) Plut. Qu. gr. XX. Aelian. var. hist. III, 27. Cic. de orat. III, 34. Aristot. *Σαμ. πολιτ.* Vide p. 28. 5) Plut. Qu. gr. XX. 6) Plut. Qu. gr. XX. redierunt quidem sed proelio victi.

cognovimus amicum [1]), captis his locis reddidisse priores sedes Samiis neque tamen remansisse quemquam Samiorum, nisi qui domum suam relinquere nollent. Septimo dein anno cum Prienensibus proelio congressos Baginetidem denuo occupasse Samios, quo tempore Bias sapiens rebus inter Samios et Prienenses compositis magnam sibi conciliaverit laudem. Quantum ex hac inscriptione collata cum tertia inter ruinas templi Minervae Prienensis reperta [2]) colligere licet, Lysimachus hanc regionem Prienensibus adiudicavit.

Ol. CXXXIX, 3. in Ptolemaei Philopatoris ditione Samum stetisse constat ex Polybio [3]), qui naves in Samo fuisse non paucas et pedestrem exercitum Ephesi tradit. Samii quum ad ipsum rem de agro Prienensi retulissent, per Antiochum legatum sententiam cum ipsis communicavit, loca illa debere Prienensibus remanere [4]).

### §. 5. Aetolorum, Pergamenorum, Romanorum tempora.

Ol. CXLV, 1. in societatem Attali, Rhodiorum et Romanorum concessit insula [5]), quapropter Romanus in Aetolorum concione legatus, eadem ac reliquos, inquit, Samios queri in Philippum Macedonum regem [6]). Sed non multo post Philippus populis maritimis qui ei parebant imperata classe Samum cepit [7]). Utebatur dein Samo tot navium statione, ut omnes instruere contra Attalum non posset [8]). Ol. CXLVI, 1. quum Senatus per Flamininum imperatorem edixisset, omnes Graecorum civitates quae sub Philippi ditione fuissent, ut pristina libertate fruerentur, Samos quoque

1) Polyaen. I, 23, 2. cf. Chandler. Syllab. p. VI ad Inscr. antiqq. P. I, p. 15. 2) Chandler. Inscr. antiqq. P. I, p. 15. 3) l. V, 35. 4) Chandler. Inscr. antiqq. P. I, p. 15, 4. 5) Liv. XXXI, 15. 6) Liv. XXXI, 31. 7) Appian. de reb. Maced. III ed. Schweigh. 8) Polyb. XVI, 1.

libertate recuperata speciosa magis quam vera mirum quantum exsultabat.

Hoc ipso anno Rhodii alias civitatum sociarum, quibus bellum ab Antiocho Syriae rege imminebat, auxiliis iuverunt, alias providendo et praemonendo de conatibus hostis; causaque libertatis fuerunt ipsis Samiis [1]). Ol. CXLVII, 3. quum bellum contra Antiochum exardesceret, Romani primis tenebris portum Samiae desertum tenuerunt. Classis cetera eundem in portum decurrit, quo et Rhodia classis paucos post dies venit. Ad Ephesum decertaturi eunt, sed Samum se recipiunt, ibique consilio advocato Livius, qui classi praeerat Romanorum, Ephesum tota classe petere proponit [2]). Quae dum exsequuntur Romani cum sociis, Polyxenidas, Antiochi dux, Pausistratum Rhodiorum classi praefectum, qui Sami stationem habebat, hoc dolo decepit, quod regiam classem se proditurum per epistolam pollicebatur. Pausistratus haud denegata hisce literis fide, militum alios frumenta congestum, alios alio dimisit. Securum nocte invasit Polyxenidas cum suis: primum navibus relictis terra hostem depelli iussit Pausistratus, tum vero navi conscensa primus suos ad pugnam produxit, et fortiter pugnando occubuit. Ceterorum alii ceciderunt, alii capti sunt, septem igniferae naves aufugerunt, reliquas viginti Polyxenidas secum Ephesum deduxit [3]). Post eam victoriam Samos rursus ad Antiochum defecit [4]). Quam sub Lysimacho et Ptolemaeo enarravimus Samiorum de Prienensium agro litem, eandem iam videmus coram Antiocho rege actam haud maiore eventu, quum Antiochus, cui Prienenses suum ius documentis confirmarent, terminos horum vicinorum populorum iterum constituendos curaret [5]). Novum periculum recuperandae re-

---

1) Liv. XXXIII, 20. 2) Liv. XXXVII, 12, 13, 14. 3) Appian. de reb. Syr. XXIV. Liv. XXXVII, 10. sqq. 4) Appian. de reb. Syr. XXV. 5) Chandler. Inscr. antiqq. P. I, p. 15, 3, 4.

gionis illius fecerunt delata ad Rhodios causa. De hac finium constitutione adeas Chandleri Inscr. antiqq. P. I, p. 15, 1. et Syllabum p. VI, ubi l. 1. *ἐν Σαμίοις ὅτι ἀγορεύοντι* emenda *Σάμιοι ποταγορεύοντι* i. q. *προςαγορεύουσι*, l. 9. *ἔςτε* i. q. *μέχρι*, non *ἔς τε*, et *ἄλλον τὸν* haud addito *ὅρον*, quum *τὸν* vim relativi teneat; simulque *Πετρῶνα* de nom. propr. loci a *Πετραῖς* derivando intellige. l. 11. *ὡς παραφέρει* absolute positum significare videtur „qua via ducit"; fortasse *ὡς πορεία φέρει*. Tollendam certe Chandleri *ἁ φάραγξ* puto eiusque „collem asperum" in „collem nudum" verterim. l. 12. *ἐθήκαμεν* opposita est *τῷ ἐγκολάπτειν* et sequens *ἔς τε* in *ἔςτε* commutandum.

Qui autem auctores huius finium constitutionis fuerint haud liquet, etiamsi de Prienensibus cogitantem Chandlerum omnino errasse habemus persuasum. Doricâ quippe utuntur dialecto hanc inscriptionem qui composuerunt, igitur Prienenses Ionicam dialectum, teste Herodoto, secuti auctores esse non possunt. Iudicum externa ex civitate Dorica arcessitorum haec de finibus sunt decreta, qui patria dialecto perscripserunt arbitrium suum. Quod subinde sequitur apud Chandlerum fragmentum, fortasse ad eosdem arbitros pertinet, quorum primum fuisse suspicamur, Rhodiorum; unde Inscr. 5. Rhodiorum tempus accurate designatur. Neque huic sententiae adversantur, quae de Rhodiis ipsis dicuntur quasi litigantibus, quum haec lis ad priora remittenda videatur tempora fortasse belli socialis, ubi infesto in Samios animo Rhodii agros illorum depopulati ipsam urbem terra marique obsederunt [1]). Quoniam Rhodii tum legum suarum auctoritate, tum loci et rerum natura, tum arctiore per haec tempora consuetudine, prae aliis his rebus diiudicandis apti erant, ideo videntur electi esse. Recurritur in Inscr. 3. et 4. ad decreta Lysimachi, Philippi et Antiochi Magni: eruere tamen

---

1) Diod. S. XVI, 21. Cornel. Nep. Timoth. 3.

e nimis mutilatis inscriptionibus, utrum Prienenses in sua possessione remanserint, an Samiis eam concedere fuerint iussi, relinquo in hac arte versatioribus. Stephanephori memorantur aliquot ad temporis rationem exputandam, qui utrum Rhodiorum an alius cuiusdam fuerint civitatis, haud liquet. *Στεφανηφόροι* magistratus fuerunt sacris obeundis festisque diebus celebrandis electi ita, ut *λειτουργίαν* ad modum *χορηγίας* a ditissimis hominibus susceptam recte dixeris, unde haud mirum quod plures eiusdem gentis alii aliis annis *στεφανηφόροι* citantur. Quum autem posteriorum temporum computatio multis in civitatibus ad hosce Stephanephoros instituta legatur [1]), sequitur ut annui fuerint. Mulieres quoque hoc munere potuisse ornari docet Tryphaena *Στεφανηφόρος καὶ Γυμνασίαρχος* [2]) quam qui fuisse dubitabit, ei revoco in memoriam *γυμνασιάρχους* mulieres quae sumptibus ad festum nec essariis persolutis sine negotio munere fungi poterant. Qui hac liturgia ornati erant, signum aut aliud *ἀνάθημα* Diis patriis muneri dare solebant [3]). Apud Milesios et Iasenses hosce *στεφανηφόρους* exstitisse docent Chandleri Inscr. antiqq. P. I, p. 18 sqq. Smyrnaeorum et Magnetum Stephanephori in utriusque populi cognoscuntur foedere ubi *στεφανηφόρος* subiungitur *ἱερεῖ*, primo certe sacerdoti [4]). In Milesiorum inscriptionibus quum reperiantur *στεφανηφόροι*, nullus dubito quin et hic de Milesiorum, sociorum Prienensium, agatur magistratibus *ἐπωνύμοις*: nisi fortasse rectius ad ipsos Prienenses quoque pertinere *στεφανηφόρους* malueris. Neutiquam autem posterioris tantum temporis hunc morem fuisse puta, arbitros constituere, non singulos e medio, sed alios populos, quum illustrissimum huius rei exemplum sub Ol. XX. proposuerint Andrii et Chalcidenses [5]), qui de Acantho

---

1) Chandler Inscr. antiqq. P. I, p. 24 et 26. 2) Chandler Inscr. antiqq. P. I, p. 19. LIV. 3) Chandler Inscr. antiqq. P. I, p. 19. LIII, LIV, LVI, LVII. 4) Prideaux Marmor. Oxon. p. 8. et p. 32 ibique l. l. 5) Plut. Qu. gr. XXX.

litigantes causam Samiorum, Erythraeorum et Pariorum omnino subiecerunt iudicio (*ἀνεὺ πολέμου συνέβησαν περὶ πάντων δικασταῖς χρήσασθαι*). Inscriptio 5. docet Rhodios duo antigrapha composita Samiorum Prytanibus [1]) Protomacho Tritonis f., Simaleoni [2]) Euphranoris f., Theodoro Dionysii f. et scribae publico Menippo Cleonis tradidisse ex Rhodiorum computatione primo sacerdote . . . . [3]). Recte animadvertit Chandlerus totum hoc negotium denique ad Senatum Romanum fuisse relatum eiusque prudentia compositum fortasse ita, ut utrique quibus domus hac in regione suae iam essent, retinerent nec in posterum alius alio expelleretur. Circa Ol. CLXIII hoc Senatus decretum ad Romanos missum fuerit, quippe Servii Fulvii Flacci mentio iniicitur tum Praetoris quem a. u. c. 619. consulatum gessisse constat. A. Chr. 133 quum Attalus Philometor Pergamenorum rex, Eumenis filius, populum Romanum bonorum suorum heredem esse voluisset, Aristonicus regii sanguinis ferox iuvenis, urbes regibus parere consuetas complures facile sollicitavit, paucas resistentes in quibus erat et Samos, vi recepit [4]). Sed a. Chr. 130 mortuo Aristonico, Asiae oppida quorum ille auxilio utebatur, libertatem amiserunt quum tota Asia in provinciae formam redigeretur. Neque tamen in Romanorum ditione remansit Samos quam in bello contra Mithridatem a Romanis defecisse [5]) et Sullae victori una cum ceteris Asiae oppidis a. Chr. 84. poenas satis graves dedisse patet [6]). In hoc enim bello Lucullus auctor fuisse dicitur Rhodiorum navibus adiutus, ut Coi Cnidiique Mithridatis ceterorumque regum partibus relictis in Samo expugnanda eum adiuvarent [7]).

---

1) Cf. p. 84 et 85. 2) Graecum nomen esse ostendit Terentii auctoritas, Eunuch. VII, 7. 2. 3) Desideratur nomen sacerdotis *Ἐπωνύμου.* cf. Demosth. de coron. p. 280. ed. Reiske. 4) Flor. II, 20, 4. 5) Appian de bell. Mithrid. LXII. 6) Appian. de bell. Mithrid. LXIII. Cic. pro Manilia XII. 7) Plut. Lucull. III.

Praesente adhuc Sulla Samos a piratis capta est [1]) qui templum Iunonis expilarunt et destruxerunt hucusque illaesum [2]). Quae ab his intacta remanserunt ea C. Verres legatus Dolabellae abstulit, neque Iunonis templo neque Sami incolis ulla ex parte parcens. Quare Samiorum legati de hac expugnatione ad C. Neronem in Asia venerunt, infecta tamen causa abierunt quod eiusmodi querimonias quae ad legatum pop. Rom. pertinerent, non ad praetorem sed Romam deferri oportere responsum est [3]). Contigit autem Samiis quasi remedium malorum a Verre et piratis allatorum Q. Cicero praetor Asiae a. Chr. 62. qui summam in provincia administranda adhibuisse diligentiam, non modo non aes alienum novum contraxisse, sed vetere magno et gravi multas urbes liberasse, complures dirutas ac paene desertas, in quibus unam Ioniae nobilissimam, Samum, recreasse perhibetur [4]). Sed miserae sortis auctor Antonius insulae rursum exstitit, qui a. Chr. 32. cum Cleopatra in hac insula exquisitissimis luxuriei generibus indulgebat, securus de fini belli quod iam erat ineundum [5]). Actio quum Octavianus victor Samum in hiberna a. Chr. 30. se recepisset, turbatus nuntiis de seditione militum repetiit Italiam [6]). Quintum vero consulatum inierat quoque Sami [7]). A. Chr. 21. Augustus in Orientem profecturus quum Graeciae res ordinaret, Sami hibernavit, cuius visendi gratia Tiberius Samum traiecit, quippe et a. 20 Samum in hiberna rediit Augustus [8]). Samios liberos esse iussit a. Chr. 17. [9]). Sub haec tempora *Δράκανον* oppidum desertum, et Icariam incolis haud frequentem, propter soli pinguedinem pascendo pecori aptissimam, simulque partem orae

---

1) Appian. de bell. Mithrid. LXIII. 2) Plut. Pompei. XXIV. 3) Cic. Verr. I, 20. 4) Cic. ad Q. fr. I, 8. et III, 7. 5) Plut. Anton. LVI. 6) Sueton. Octav. XVII. Appian. de bell. civil. IV, 42. 7) Sueton. Octav. XXVI. 8) Sueton. Tiber. XII. 9) Euseb. Chron. Ol. CXC.

Ephesiorum, et Neapolin quam tradito Marathesio ab Ephesiis sibi comparaverant, occupasse videntur Samii [1]). P. Chr. 13 Romam miserunt legationem ad Tiberium, vetustum asyli ius ut firmaretur, decreto Amphictyonum nisi [2]). Caligula Sami Polycratis regiam restituere destinaverat [3]). Videtur tum temporis donec Vespasianus orbis terrarum gubernacula capesseret, libertate quadam usa esse insula [4]). At Vespasianus Samum libertate ademta in provinciae formam redegit [5]). Ionum tamen principem locum, quum omnis Graecorum libertas diu iam evanuisset, sibi retinuisse Samios docent nummi Gordiani et Decii, *Σαμίων πρώτων Ἰωνίας* inscripti, aliique foederis Samiorum cum Alexandria Aegypti initi certiores nos faciunt, tempore vix constituendo [6]).

### §. 6. Extrema tempora.

Imperio Byzantino subiecta Samos *διὰ τὸ εἶναι ἐπιφανεστάτην*, caput Thematis navalis constituta est [7]). Inde ab eo tempore accuratior perit insulae nostrae mentio. Initio saeculi octavi Leo imperator Samum ab Arabibus occupatam et devastatam recepit: initio saeculi decimi tertii Tzachas Turcorum praefectus in ditionem redegit; in breve tantum tempus, quum Ioannes Ducas bellum ei inferret et una cum ceteris Aegaei maris insulis Samum rursus occuparet [8]). Veneti quum maris Aegaei principatum tenerent, multa praeclara artificia abstulerunt, et Christophorum, Samiorum episcopum, gravissimis affecerunt poenis, dum quam Samios soluturos hostibus pecuniae vim pollicitus erat, propter incolarum inopiam colligere non pos-

---

1) Strab. X, p. 336. XIV, p. 440. 2) Tacit. Annal. IV, 14. 3) Sueton. Caligul. XXI. 4) Eutrop. VII, 19. 5) Sueton. Vespas. fin. 6) Eckhel. doctr. numm. p. 569 et 570. 7) Constantin. Porphyrogen. I, them. XVI. 8) Anna Comnena Alexiad. IX, p. 196. E. Nicephor. Gregor. hist. Byzant. II, 3, 2.

set [1]). Genuenses dein insulae sibi vindicarunt imperium [2]), donec Mahomet II. anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta Constantinopoli et Archipelagi insulis, Samum quoque funditus devastavit [3]). Piratarum invasionibus nimis obnoxia, quare alii quo minus sedes in Samo figerent diu impediebantur, tum demum novos nacta est incolas, quum insulae amoenitate allicitus Kilitsch Ali Bassa ab imperatore Selim veniam impetrasset deducendorum eo colonorum, qui quum aliis ex locis tum ex Mitylene eo migrasse narrantur [4]). Praeter quadraginta pagos quattuor Samos habet oppida, *Kora* s. Megali Kora, insulae capite, Aga Osmanicus et Archiepiscopus Graecus sede utuntur: conspiciuntur ibi sex ecclesiae, trecentae domus, mille incolae et castellum paene dirutum, quod Osmanni nonnulli tanquam praesidium tenent. Prope portum Tigani reperiuntur rudera Heraei. *Vahti* portu satis bono commendata, mercaturae maximam operam dat: *Carlovasi* oppidum maritimum, mercaturae haud minus deditum, quinque habet ecclesias. Quartum denique *Furni* vasis figlinis inclaruit [5]). Totam insulam hodie quinquaginta millia hominum tenent vivaci et hilari animi indole, nec gravi Turcorum premi narrantur [6]) imperio, quum praeter Agam paucosque milites Osmanum nullus in insula versetur, ipsi vero insulani turrium susceperint custodiam, adeoque ius Archiepiscopi e suo numero eligendi obtineant [7]). At examinatis quae Agae tribuenda sunt annua, haud ita laeta uti eos condicione intelliges [8]), quae quidem saepe eo fit tristior, quod

---

1) Georgirenes Collect. Itin. Orient. ed. Paul. T. V, p. 272 sqq. 2) Meletii Geograph. p. 489. 3) Dapper Archipel. p. 209. 4) Dapper l. c. Tournefort Voyage du Levant. T. I, p. 428. 5) Gaspari et Uckert Compend. Geogr. T. XIII, p. 155. Tournefort Voy. d. L. T. I, p. 406. Pococke Descript. Or. T. III, p. 36 sqq. Georgirenes Collect. It. Or. ed. Paul. T. V, p. 272 sqq. 6) Tournef. Voy. d. L. l. c. Gaspari et Uckert l. c. 7) Pococke Descript. Orient. T. III, p. 36 sqq.

Proesti oppidorum et vicorum, ipsi Graeci, rem cum Aga faciunt et vectigalium vim ab insulanis exigendam pro libitu augent [1]). Vinum quod Hydriotis vendunt optimum, summam apud eos redituum facit: evehunt praeterea uvas passas, oleum, mel exquisitissimum, aquam vitae (ἀσυγχώρητον) [2]), ficos, mala, ceratoniam siliquam, bombycem. Haud procul a Vahti densissimae silvae materiem instruendae classi Osmanicae subministrant. Montes non tantum marmor aedibus exstruendis utilissimum edunt, sed terram etiam saponariam aliaque fossilia [3]). Harum rerum commercio etiamsi haud exiguam sibi comparaverunt pecuniam Samii, mercaturae potissimum addicti: libertatis tamen sensu in eorum animis nequaquam exstincto suscitati, posthabita mercatura aliud sequi apud animum constituerunt. Postquam enim armis Graecorum qui duram Turcorum servitutem ultra ferre nolebant, adiunxissent sua: et fortiter pugnando et summa rei maritimae peritia omnem laudem et virtutem, qua maiores per totam antiquitatem prae ceteris Ionibus floruerant, tueri se religiose docuerunt.

---

1) Georgirenes Collect. Itin. Orient. ed. Paul. T. V, p. 272 sqq. 2) Georgirenes l. l. 3) Gaspari et Uckert l. l. Tournefort l. l. Pococke l. c.

## Addenda et Corrigenda.

P. 3. l. 2. Dionysi. P. 3. l. 16. Miletus τόπος ἐν Σάμῳ. v. Schol. ad Apollon. Rh. v. 185. P. 3. n. 16. L. XIV, p. 438. P. 4. l. 31. προαστήϊον. P. 5. l. 2. προαστήϊον. P. 5. n. 8. Herod. VI, 14. P. 9. l. 11. iudicio. P. 10. l. 6. σάμους. P. 11. l. 3. Ποσειδίῳ. P. 11. l. 4. Ποσειδῶνος. P. 11. l. 10. seu pro et. Loco Pausaniae VII, 4. adde Herod. I, 171 οἱ Κᾶρες τὸ παλαῖον ἐόντες Μίνω τε κατήκοοι καὶ καλεόμενοι Λέλεγες εἶχον τὰς νήσους. P. 11. n. 5) bis reperitur. hanc muta in 6) sequentesque 7) et 8). P. 12. l. 11. venatui, nauticae et rei piraticae magis. cf. Herod. I, 171. II, 152. P. 12. n. 3. Strab. X, p. 336. P. 13. n. 2. Cares expulsos esse ab Ionibus docent Strab. XIV, p. 435 et Herod. I, 171. P. 14. l. 27. σεσίμωνται. l. 28 ὑποπρώρους. n. 2. Herod. I, 143. 148. P. 15. l. 2. φορτοφορεῖν. Adde Suid. Σάμαινα πλοῖον δίκροτον. διῆρες. P. 17. l. 4. Ac pro Huic: neque credas eandem esse atque illam, cuius Plinio (XXXV, 53) citantur duo genera ad medicinam pertinentia. P. 17. l. 9. in esculentis parandis conservandisque. l. 11. habeat. P. 22. l. 21. Χριστοῦ. P. 23. n. 4. Περινθίοις. P. 24. n. 1. post v. Ἄμοργος immitte Strab. X, p. 335. P. 28. l. 23. civibus Prienensium. l. 31. dicuntur Samii. P. 31. l. 1. numerum pro annum et Ol. LIX, 4. l. 5. Ol. LV, 1 l. 6. dele trium. l. 12. post muta in priore. P. 33. n. 4. Synes. et Comment. P. 36. n. 8. Thucyd. I, 14. P. 47. n. 3. Herod. VI, 8. P. 63. n. 6. Thucyd. I, 14. P. 76. l. 11. cum. P. 83. l. 10. οἵ. P. 92. l. 22. ὦροι. P. 93. l. 1. dele quod, lege neque.

# Index Scriptorum,

## qui hoc in libro citantur.


A.

Aelianus. p. 5. 7. 11. 19. 28. 36. 42. 44. 45. 55. 64. 68. 69. 99.
Aeschines. p. 97.
Aeschrion. p. 82. 89.
Aeschylus. p. 6. 48. 66.
Aesopus. p. 89.
Aethlius. p. 1. 6. 7. 92. 96.
Agatharchides. p. 96.
Agathemerus. p. 2. 6.
Agathocles. p. 96.
Agathon. p. 96.
Alexis. p. 1. 15. 35. 96.
Anacreon p. 4. 37.
Anna Comnena. p. 106.
Antigonus Carystius. p. 11. 96.
Antimachus. p. 89.
Antiphanes. p. 7. 21.
Antiphon. p. 20.
Apollodorus. p. 11.
Apollonius Rhodius. p. 4. 11. 12. 57.
Appianus. p. 100. 101. 104. 105.
Appuleius. p. 5. 6. 21. 35. 42. 58. 60. 61. 62.
Arignote. p. 89.
Aristarchus. p. 90.
Aristides. p. 96.
Aristophanes. p. 5. 33.
Aristoteles. p. 11. 21. 26. 28. 35. 37. 46. 68. 76. 89. 90. 99.
Arrianus. p. 2. 22.
Artemidorus. p. 25.
Asclepiades. p. 96.
Asius. p. 9. 10. 11. 59. 80. 87. 88.
Athenaeus. p. 1. 3. 5. 6. 7. 9. 11. 16. 18. 21. 35. 36. 41. 42. 54. 55. 56. 58. 60. 65. 66. 80. 81. 82. 86. 88. 89. 91. 92. 93. 94. 96. 97. 98.
Auctor de fluminibus. p. 96.
Auctor ad Herennium. p. 17.

B.

Beck. p. 33.
Bentleius. p. 29.
Blanchard. p. 84.
Boeckh. p. 35. 82. 97.
Boettiger. p. 54. 62.
Brandes. p. 90.

C.

Callimachus. p. 3. 4. 5. 8. 11. 21. 63. 88.
Casaubonus. p. 6. 84.
Cedrenus. p. 34.
Chandler. p. 28. 67. 84. 92. 99. 100. 101. 102. 103.
Choerilus. p. 88. 89.
Chronicon Paschale. p. 22.
Cicero. p. 17. 28. 34. 60. 61. 62. 90. 92. 99. 104. 105.
Clearchus. p. 43.
Cleitus. p. 35.
Clemens Alexandrinus. p. 1. 16. 31. 51. 54. 58. 61. 64. 87. 88. 90. 91. 96.
Cleobulus. p. 86.

Constantinus Porphyrogeneta. p. 106.
Cornelius Nepos. p. 77. 102.
Crates. p. 1.
Creophylus. p. 88.
Creuzer. p. 19. 24. 64. 90. 94. 95.

## D.

Dapper. p. 107.
Demosthenes. p. 22. 55. 104.
Dinarchus. p. 16.
Diodorus Siculus. p. 5. 6. 20. 23. 24. 34. 40. 48. 49. 50. 52. 63. 64. 66. 67. 68. 70. 72. 74. 75. 76. 78. 83. 90. 94. 95. 97. 98. 102.
Diogenes Laertius. p. 1. 12. 52. 56. 57. 90. 92. 93. 97. 98.
Dionysius Chalcidensis. p. 23. 57.
— Halicarnasseus. p. 90. 95.
— Milesius. p. 94. 95.
— Periegeta. p. 22. 95.
— Samius. p. 94. 95.
Dioscorides. p. 17. 21.
Diphilus. p. 66.
Duris. p. 1. 3. 64. 74. 90. 91. 92. 93. 98.

## E.

Eckhel. p. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 59. 106.
Empedocles. p. 90.
Epaenetus. p. 96.
Ephorus. p. 16.
Eratosthenes. p. 87.
Etymologicon M. p. 1. 3. 5. 9. 11. 13. 20. 23. 32. 64. 81. 86. 91. 93. 96.
Euanthes. p. 96.
Eudocia. p. 82. 89.
Eugeon. p. 90.
Euphorion. p. 89.
Euripides. p. 66.
Eusebius. p. 22. 25. 27. 32. 42. 57. 87. 88. 105.
Eustathius ad Dionysium. p. 4. 6. 7. 9. 10. 22. 34. 41. 42. 44. 45. 58.
Eustathius ad Homerum. p. 3. 37. 55. 58. 59. 64. 65. 88.
Eutropius. p. 106.

## F.

Florus. p. 104.
Frontinus. p. 76.

## G.

Galenus. p. 34.
Gaspari. p. 107. 108.
Gellius. p. 7. 57. 60. 96.
Georgirenes. p. 6. 107. 108.
Gregorius Corinthius. p. 61. 86.

## H.

Harpocration. p. 21. 25. 68. 75. 91. 94.
Heeren. p. 31.
Heraclides Ponticus. p. 8. 10. 20. 21. 45. 89. 97.
Hermias. p. 96.
Hermodamas. p. 89.
Herodianus. p. 23.
Herodotus. p. 2. 3. 4. 5. 6. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 53. 54. 55. 58. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 78. 79. 80. 81. 82. 85. 86. 88. 89. 95. 102.
Herophile. p. 87.
Hesychius. p. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 14. 17. 21. 23. 52. 58. 59. 61. 63. 64. 65. 66. 69. 74. 83. 84. 86. 87.
Heyne. p. 34. 64. 95.
Hirt. p. 4. 54. 62.
Horatius. p. 42.
Homerus. p. 4. 5. 12. 63.
Hyginus. p. 4. 9. 11.

## I.

Iacobs. p. 57. 89.
Iamblichus. p. 9. 11. 63.

Ion. p. 69.
Isidorus. p. 6. 17.
Isocrates. p. 76.

L.

Lactantius. p. 1. 8. 17. 58. 59. 87.
Lamiscus. p. 96.
Larcher. p. 29. 30.
Livius. p. 100. 101.
Lucianus. p. 55.
Lycophron. p. 12. 20. 64.
Lynceus. p. 93.
Lysimachus. p. 15.

M.

Malacus. p. 26. 77.
Marcellus. p. 17.
Marsyas. p. 98.
Meleager. p. 7. 9.
Meletius. p. 2. 6. 22. 107.
Melissus. p. 90.
Memoires de l'academie. p. 84.
Menagius. p. 90.
Menander. p. 93. 94.
Menodotus. p. 1. 6. 7. 58. 60. 96.
Meursius. p. 94. 95.
Morisani. p. 84.
Moschus. p. 96.
Müller. p. 12. 13. 24. 26. 40. 51. 54. 58. 63.
Myia. p. 90.

N.

Naeke. p. 88. 89.
Nicander. p. 3. 4. 9. 16.
Nicanor. p. 96.
Nicephorus Gregoras. p. 106.
Nonnus. p. 64.

O.

Olympichus. p. 1.
Oribasius. p. 17.
Ovidius. p. 57.

P.

Palaephatus. p. 96.
Panel. p. 84.
Parmenides. p. 90.
Paroemiographi. p. 1. 5. 12. 16. 34. 36. 57. 61. 63. 69. 87.
Pausanias. p. 3. 5. 7. 13. 14. 15. 20. 21. 26. 34. 36. 47. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 65. 71. 73. 74. 75. 77. 86. 87. 88. 90. 97.
Pausimachus. p. 96.
Phavorinus. p. 4.
Philo. p. 41.
Philochorus. p. 97.
Philostratus. p. 33.
Phocus. p. 90.
Photius. p. 10. 23. 36. 63. 69. 73. 75. 87. 93.
Pindarus. p. 59.
Plato. p. 89.
Plautus. p. 17.
Plinius. p. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 15. 16. 17. 19. 21. 34. 41. 52. 53. 54. 55. 56. 64.
Plutarchus. p. 3. 5. 6. 13. 14. 15. 19. 21. 22. 27. 28. 29. 31. 35. 37. 38. 45. 56. 59. 61. 65. 66. 67. 68. 69. 72. 73. 74. 76. 78. 79. 80. 81. 83. 84. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 96. 97. 99. 103. 104. 105.
Pococke. p. 2. 4. 5. 6. 7. 10. 23. 57. 107. 108.
Pollux. p. 1. 7. 80.
Polyaenus. p. 3. 5. 11. 27. 32. 33. 48. 50. 59. 67. 71. 76. 78. 79. 82. 100.
Polybius. p. 56. 100.
Pomponius Mela. p. 23. 25.
Porphyrius. p. 1.
Potamon. p. 2.
Prideaux. p. 86. 103.
Proclus. p. 24. 87.
Procopius. p. 23.
Prodicus. p. 88.
Ptolemaeus. p. 2. 23.
Pythagoras. p. 89.
Pythocles. p. 96.

R.

Raoul-Rochette. p. 23. 24. 25.
Ritter. p. 24.


S.

## S.


Schelling. p. 20.
Schol. ad Aeschin. p. 97.
— — Apollon. Rh. p. 4. 9. 11. 12. 21. 91. 94.
Schol. ad Aristoph. p. 33. 64. 69. 79. 91.
Schol. ad Callimach. p. 3. 4. 11.
— — Euripid. p. 1. 92.
— — Nicandr. p. 3. 16. 20.
— — Pindar. p. 94.
Schweighaeuser. p. 1. 47. 65. 80. 86. 92. 97.
Scylax. p. 2. 4. 6. 22. 24.
Scymnus Chius. p. 20. 22.
Sextus Empiricus. p. 88. 90.
Simonides. p. 1. 24.
Sopater. p. 80.
Spanhemius. p. 10. 58. 63. 84.
Stephanus Byzantinus. p. 2. 3. 5. 8. 9. 14. 16. 21. 22. 23. 24. 25. 58. 63. 95.
Strabo. p. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 21. 24. 27. 34. 36. 41. 42. 44. 45. 60. 62. 63. 64. 66. 68. 86. 88. 97. 106.
Suetonius. p. 5. 105. 106.
Suidas. p. 1. 3. 5. 7. 9. 13. 15. 16. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 35. 36. 44. 55. 59. 61. 64. 66. 68. 69. 71. 75. 82. 87. 88. 89. 90. 91. 93. 95. 98.
Syncellus. p. 87.
Synesius. p. 33.


## T.


Tacitus. p. 62. 87. 106.
Telauges. p. 89.
Terentius. p. 104.
Theano. p. 89.
Themistagoras. p. 81.
Theocritus. p. 16. 96.
Theophrastus. p. 17. 21. 93.
Thesaurus Antiqq. Rom. p. 84.
Thiersch. p. 51. 53. 54.
Thucydides. p. 2. 13. 14. 22. 26. 27. 34. 36. 42. 63. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 78. 83. 84. 85.
Tibullus. p. 17.
Timomachus. p. 56.
Tournefort. p. 2. 4. 5. 6. 7. 107. 108.
Tzetzes. p. 3. 11. 12. 34. 82. 89. 91. 93. 96.


## U.


Ubbo. p. 29.


## V.


Valerius Maximus. p. 13. 34. 44. 57.
Van Dall. p. 84.
Varro. p. 7.
Virgilius. p. 57.
Vitruvius. p. 62.
Vossius. p. 23. 96.


## W.


Wernsdorf. p. 96.
Wesselingius. p. 41. 83. 97. 98.
Winkelmann. p. 54. 64.


## X.


Xenophon. p. 72. 74. 75. 83.


## Z.


Zenobius. p. 97.


---

# Index Rerum.

## A.

Achillea. p. 2.
Admeta. p. 60.
Aeaces, Polycratis pater. p. 32.
Aeaces, Sylosontis f. Sami tyrannus. p. 46. a Persarum partibus stat. p. 16. imperio pulsus. p. 47. Aeace auctore Samii aciem contra Persas relinquunt. p. 48. ipse tyrannidem recipit. p. 48. quam sustulit Mardonius. p. 48.
Aeginetae. p. 26. 40. eorum ars. p. 51.
Aegles. p. 57.
Aegospotamos. p. 72.
Aegyptus. p. 15. 16. Aegyptiorum ars. p. 52.
Aeoles, Sami coloni. p. 12. bellum gerunt cum Samiis. p. 27.
Aeris fundendi ratio. p. 50.
Aeschrion. p. 81. 82.
Aeschrionia tribus. p. 32. 81.
Aetoli. p. 100.
Aga. p. 107.
Agamemnon. p. 69.
Agatharchus. p. 55.
Agathoclea. p. 56. 81.
Ἀγορά. p. 5.
Aheneum. p. 53.
Alcibiadis statua. p. 61. 71. 73.
Alcidas. p. 70.
Alexander M. p. 97.
Alexandria. p. 106.
Alitherses, Ancaei f. p. 10.
Alyattes. p. 30.
Alypus. p. 74.
Amasis. p. 16. eius thorax Lacedaemoniis missus. p. 29. eius signa. p. 61.
Amazones. p. 3.
Amerina salix. p. 7. 60.
Aminocles. p. 14.
Amorgos. p. 23.
Amoris gymnasium. p. 5. 65.
Ampelus prom. p. 2. mons. p. 3.
Amphicrates. p. 26.
Amphictyonum decretum. p. 62. 106.
Amphilyssus. p. 2. 3.
Amphitheatrum. p. 6.
Ἀναβαλλαγόρας. p. 17.
Anacreon. p. 36.
Anaea. p. 13. 21. 22. 70.
Ἀνάῤῥυσις. p. 82.
Ancaeus, Neptuni et Astypalaeae f. Lelegum rex. p. 10.
Androcles. p. 13.
Ἀνδρών. p. 5.
Annulus Polycratis. p. 34. 54.
Anthemusa. p. 8. 9.
Antigrapha. p. 104.
Antiochus. p. 100. 101.
Antipater. p. 98.
Antonius. p. 62. 105.
Apaturia. p. 82.
Apelles. p. 56.
Apollo. p. 36. 63. eius templum. p. 5. 63. oracula. p. 11. 33. simulacrum. p. 52. 53.
Ἀποῤῥῶγα τῆς πόλεως Samum. p. 97.
Ἀποφλῦσαι. p. 87.
Aquaeductus. p. 4.
Arcesilaus. p. 36.

Archias. p. 39.
Archiepiscopus. p. 107.
Architectura. p. 55.
Arginusae. p. 72.
Aristides. p. 66.
Aristonica. p. 56. 81.
Aristonicus. p. 104.
Ἁρμοστής. p. 74.
Artaphernes. p. 48.
Ascandalis. p. 24.
Assorum. p. 2. 3.
Aster. p. 16.
Ἄστυ Νυμφέων. p. 4.
Astypalaea, vetus oppidum. p. 2. 13. arx, in qua regia. p. 5. filia Phoenicis et Perimedae, soror Europae. p. 10. 11. tribus. p. 81.
Ἀσυγχώρητος. p. 108.
Athenagoras. p. 49.
Athenienses quingenti liberantur a Samiis. p. 50. capiunt Samum. p. 67.
Attalus. p. 100. 104.
Augustus. p. 62. 105.

## B.

Bacchiadae. p. 52.
Bacchis. p. 81.
*Βαδίζειν Ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον.* p. 80.
*Βάστα Κάρα.* p. 61.
Bathyllus. p. 35. eius statua. p. 61.
Batinetis. p. 28. 99.
Battus Cyrenaicus. p. 18.
Bias. p. 28. 100.
Bisanthe. p. 23.
*Βουλευτήριον.* p. 5. 84.
Bubastis. p. 15.
Byzantium. p. 66. 67. 76. 77.

## C.

Caligula. p. 106.
Callistratus. p. 87.
Calyphon. p. 55.
Cambyses. p. 30. 36. 44.
Cantharium. p. 2.
Cares, primi incolae Sami. p. 8. 12. 13. eorum rex Ancaeus. p. 10. 11.
Carica dialectus. p. 86.
Carlovasi. p. 107.
Carystion. p. 69.
Celendris. p. 25.
Cephallenes, conditores Sami Ionicae. p. 11.
Cerceteus. p. 3. 16.
Cereris templum. p. 5.
Chabrias. p. 76.
*Χαλκεύς.* p. 66.
Chalcidensium bellum cum Eretriensibus. p. 27. lis de Acantho. p. 103.
Charadrum. p. 24.
Chares. p. 77.
Charilaus. p. 44. 45.
Charitoblepharos. p. 81.
Charminus. p. 71.
*Χειροτονίᾳ.* p. 84.
Chesia. p. 13. 32. 81.
Chesius. p. 3. 13. 81.
Chii, Atheniensium socii. p. 68. 70.
Chios. p. 2.
Choerilus. p. 74.
Christophorus. p. 107.
Cicero. p. 105.
Cimon. p. 67.
Circuitus Sami. p. 6.
Cleisophus. p. 55.
Cleomedes. p. 74.
Cleomenes. p. 37. 45.
Cleon. p. 104.
Cleopatra. p. 105.
Cleruchi. p. 97.
Clisthenes. p. 62.
Cnidii. p. 29. 38.
Cnidus. p. 75.
Colaeus. p. 15.
Collyrium. p. 16.
Colophonii. p. 82.
Cononis statua. p. 61. 73. 75.
Corcyraeorum liberi. p. 28.
Corinthii. p. 28. 29. 38.
Corobius. p. 15.
Cos. p. 2. 76.
Crater Croeso missus. p. 28. 54.
Ctesicles. p. 54.

Cubitus Samius. p. 20.
Cydonia. p. 25. 40.
Cydrolaus. p. 12.
Cyparissia. p. 8. 9.
Cyprii. p. 47.
Cyprothemis. p. 75.
Cyprus. p. 15. 65. 67. 98.
Cyrene. p. 15.
Cyrus. p. 34.

D.

Dardania. p. 14.
Darius. p. 44. 48.
Datis. p. 48.
Decius. p. 106.
Deiphon. p. 13.
Δέκαρχοι. p. 74.
Demeter Ἐνελυσκίς. p. 66.
Demetrius Phalereus. p. 81.
Demetrius Poliorcetes. p. 81. 93.
Democedes. p. 36. 41.
Δῆμος. p. 83. 84.
Demoteles, rex Sami. p. 27.
Dexicreon. p. 15. 65.
Diagoras. p. 94.
Dialecti Ionicae. p. 85. 86.
Dialectus Dorica. p. 96. 102.
Dianae templum. p. 5. 63. Καπροφάγος, Χησία, Ἰμβρασίη. p. 63. Dictynnae t. Cydoniae. p. 63. festi. p. 63. 64.
Diomedon. p. 71. 72.
Dionysius. p. 104.
Dionysus Gorgyreus. p. 2. 64. Dionysus cum Amazonibus pugnat. p. 3. Dionysi Κεχηνότος t. p. 5. 64. Ἐλυγεύς, Ἐνόρχης. p. 64.
Diphilus. p. 75.
Discordia. p. 55.
Δορπεία. p. 82.
Δράκανον. p. 105.
Dryusa. p. 8. 9. 99.
Ducas. p. 106.
Duris. p. 57.
Δυνατοί. p. 83.

E.

Ἐκκλησία. p. 84.
Ἐλαιόφυτος Samus. p. 6.
Ἐλευθέρια. p. 65. 66.
Elpis. p. 15.
Enudus, Ancaei f. p. 10.
Ἐφεδέται. p. 74. 84.
Ephesii. p. 13. 65. 82. Ephesiae Dianae t. p. 51. 55.
Ephesus. p. 2. 52. 70.
Ἐπιφανεστάτη Samus. p. 106.
Erasistratium. p. 24.
Eratosthenes. p. 1.
Euclides. p. 87.
Eudocimus. p. 75.
Eupalinus. p. 4.
Euphranor. p. 104.
Eurymenes. p. 56.

F.

Flamininus. p. 100.
Flores Samiorum. p. 6. 7.
Fossa Sami. p. 35.
Fruges. p. 16.
Furni. p. 107.
Fulvius Flaccus. p. 104.

G.

Γαμόροι. p. 83.
Γενεή. p. 31. 32.
Genuenses. p. 107.
Geomori. p. 26. 27. 83.
Γεωφάνιον. p. 16.
Gigartho. p. 2.
Γλαῦξ. p. 69.
Γνώριμοι. p. 83.
Gordianus. p. 106.
Gorgone. p. 3.
Gorgyra. p. 3.
Gymnastica. p. 56.

H.

Hegesistratus. p. 49.
Hellenium. p. 10.
Heraclea. p. 22.
Heracleae columnae. p. 15.
Heraclitus. p. 57.
Heraeum prom. p. 2. 5.
Ἡραῖον Τεῖχος. p. 23.
Hermionenses. p. 39.

Herophytus. p. 67.
Hippagus. p. 14.
Hippeus. p. 72.
Hippias. p. 57.
Hippolochus. p. 94.
Hydrea. p. 39.
Hydriotae. p. 108.
Hypaethrum. p. 62.
Hyperbolus. p. 71.

I.

Ibettes. p. 3.
Ibycus. p. 30. 36.
Icaria. p. 2. 105.
Imbrasus. p. 3. 8.
Imbrus. p. 77.
Imperium Byzantinum. p. 106.
Ionum motus. p. 47. 49.
Iphicrates. p. 76. 77.
Ipnus. p. 2.
Iunonis Samiae templum. p. 5. 51. antiquum. p. 58. incensum. p. 34. 62. expilatum. p. 61. 105. *Πιναχοθήκη.* p. 62. asylum. p. 62. Iunonis signum. p. 51. 58. 60.
Iuno *Γαμήλη.* p. 58.
— *Εἰλήθυια.* p. 58.
— *Ἰμβρασία.* p. 9.
— *Ἰπνουσία.* p. 2. 58.
— *Παρθενία.* p. 58. 59.
Iunonis sacra. p. 59.
Iupiter Liberator. p. 4. eius aedes. p. 43. 65.

K.

*Καλὴ Ἀκτή.* p. 25. 26. 48.
*Καπροφάγος.* p. 63.
*Κάριον χώριον.* p. 99.
Kilitsch Ali Bassa. p. 107.
*Κομήτην, τὸν ἐν Σάμῳ.* p. 57.
Kora. p. 107.
*Κουρεῶτις.* p. 82.

L.

Labyrinthus. p. 54.
Lacedaemonios adiuvant Samii in bello Messeniaco secundo. p. 26.
Lacedaemonii auxilium ferunt Samiis. p. 37. 45. occupant Samum. p. 74. 75.
Lampeto. p. 81.
Lampon. p. 49.
Lana. p. 16.
Lapis Samius. p. 17.
Laura. p. 5. 35.
Laurus Samia. p. 7.
Leleges, primi insulae incolae. p. 8. eorum rex Ancaeus. p. 10. 11.
Lemnus. p. 44. 68. 77.
Leo. p. 19.
Leo imperator. p. 106.
Leogoras. p. 13.
Leon. p. 71. 72.
Leotychidas. p. 49. 50.
Lesbii, socii Atheniensium. p. 68. eos accurrentes Milesiis devincit Polycrates. p. 33.
Lesbos. p. 12. 13.
Leucothea. p. 2.
Lingua Samiorum. p. 85.
Livius. p. 101.
Lucullus. p. 104.
Lycaretus. p. 44. Lemno praefectus. p. 44.
Lycomedes, Parthenopae et Apollinis f. p. 10. 12.
Lycopas. p. 39.
Lydi. p. 40.
Lygdamis. p. 32. 99.
Lysander. p. 72. 73. eius statua. p. 73.
Lysandria. p. 59.
Lysimachus. p. 99.

M.

Macareus. p. 12.
Maeandrius, Polycratis successor. p. 5. 41. 43. 44. 45.
Magnesia. p. 41.
Mahomet. p. 107.
*Μακάρων νῆσος.* p. 6. 24.
Malum Samium. p. 6. 7.
Mandrobulus. p. 16.
Mandrocles. p. 55.
Marathesium. p. 106.
Mardonius. p. 48.

Mecon. p. 56.
Megarensium bellum cum Perinthiis. p. 28.
Melamphyllus. p. 8. 9.
Melinum. p. 17.
Melissus. p. 69.
Menippus. p. 104.
Mercurius *Χαριδότης*. p. 65.
Milesii. p. 28. 50. bellum Milesium. p. 67.
Miletus. p. 47.
Minervae templum. p. 5. 100.
Mithridates. p. 104.
Mitrobates. p. 40.
Musica. p. 56.
Mycale. p. 2. 50.
Myrine. p. 81.
Myro. p. 62.
Myrsus. p. 40.

## N.

Nagidium. p. 25.
Narthecis. p. 2.
Naucratis. p. 16.
Neapolis. p. 2. 24. 106.
Neocles. p. 97.
*Νηΐδες*, ferae, p. 10.
Nico. p. 81.
Nicophemus. p. 97.
Noctis signum. p. 51.
Nummi. p. 18.
Nymphaea. p. 2. 4.
*Νύμφη*. p. 87.

## O.

*Ὄασις πόλις*. p. 24. 81.
Oenanthe. p. 56. 81.
Oleum. p. 16.
Oroetes. p. 40.
*Ὅροι, Ὧροι* et *Ὡρογράφοι*. p. 92.
Otanes. p. 44. 46.
Oves Milesiae. p. 16.

## P.

Pallas. p. 3. *Ἐργάνη*. p. 66.
*Πάλω*. p. 84.
Panaema. p. 3.
Panionium. p. 2. 14.
Pantagnotus, Aeacis f. p. 32.
Parrhasius. p. 55.
Parthenia. p. 8. 9.
Parthenius. p. 3. 8.
Parthenoarusa. p. 8. 9.
Parthenope, Ancaei filia. p. 10.
Pausanias. p. 66.
Pausistratus. p. 101.
Pavones. p. 7. 16. 60.
*Πηδητής*. p. 28.
Pelusium. p. 15.
Penthilus. p. 13.
*Πεός*. p. 66.
Perdiccas. p. 98.
Periander. p. 30.
Pericles. p. 5. 67. 68. 69.
*Περὶ δρυΐ σκότος*. p. 28.
Perilaus, Ancaei f. p. 10.
Perinthus. p. 22. 28.
Persarum invasio. p. 44.
Perseus. p. 3.
*Φέρει καὶ ὀρνίθων γάλα* Samos. p. 6.
Philippus. p. 97. 98. 100.
Philodicus. p. 75.
Phratriae. p. 82.
*Φρούραρχος*. p. 75.
Phrynichus. p. 71.
Phygela. p. 24.
Phylacus. p. 48.
Phylae. p. 81. 82.
Pingendi ars. p. 55.
Piratae. p. 105. 107.
Piratica. p. 15.
Pisander. p. 71.
Pissuthnes. p. 68.
Placentae. p. 80.
*Πλακουντοποιόν* Samum. p. 80.
Platea. p. 15.
*Οἱ πλείονες*. p. 84.
Polisperchon. p. 98.
*Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου*. p. 72.
*Πολυκράτεια ἔργα*. p. 35.
Polycrates, Aeacis f. p. 32.
— tyrannidem init. p. 29.
— munit Astypalaeam. p. 3. 32.
Polycrates Samaenas invenit. p. 15.
Polycrates, hospes Amasidis. p. 32. 33.

Polycrates Lesbios devincit. p. 33.
Polycrates bellum gerit cum Cyro. p. 34.
Polycrates rempublicam ornat. p. 35.
Polycrates auram popularem captat. p. 35.
Polycrates, libris coacervandis nobilis. p. 36.
Polycrates bellum cum Lacedaemoniis gerit. p. 36. 37. 38. 39.
Polycrates ab Oroete cruci affixus. p. 41.
Polycrates qualis fuerit. p. 42. 43.
Polycratis filia. p. 41.
*Πολυγράμματοι* Samii. p. 87.
Polyxenidas. p. 101.
Portus Sami. p. 4.
*Ποσειδῶν* Ancaei pater. p. 10. *Ἑλικώνιος*. p. 14.
*Ποσειδῶνος Ἐπακταίου* templum. p. 5. 11. 65.
Posidippus. p. 94.
Posidium prom. p. 2. 5.
Prienenses. p. 13. 14. eorum bellum. p. 28. lis. p. 99. 100. 101. 102.
*Προαστήιον* Sami. p. 4.
Procles. p. 13. 58. 81.
Proesti. p. 108.
Protomachus. p. 104.
Prytanes. p. 84. 104.
Psammetichus. p. 15.
Ptolemaeus. p. 98. 100.
Pythagoras philosophus. p. 29. 56.
Pythagoras pictor. p. 56.

## R.

Rhadines et Leontichi sepulchrum. p. 5.
*Ῥαιδέστον*. p. 23.
Rhenea. p. 36.
Rhodii. p. 75. 76. 79. 100. 101. 102. 103. 104.
Rhoecus, Philei f. artifex. p. 51.
Ripara. p. 2.
Romani. p. 100.

## S.

*Σάμαινα* navis. p. 14. 15. moneta. p. 18.
Sami nominis origo. p. 9. 10.
Samia, Maeandri filia, Ancaei uxor. p. 10.
Samii arbitri in lite de Acantho. p. 27.
Samii fortitudine insignes. p. 74. 78.
Samii insula eiecti. p. 97.
— in patriam reducti. p. 98.
— *Πρῶτοι Ἰωνίας*. p. 106.
Samiorum motus. p. 70. 71. 72.
— misericordia. p. 78.
— luxus. p. 80.
*Σάμοι τὰ ὕψη*. p. 10.
Samos, Ancaei et Samiae f. p. 10. 12.
Samos Cephallenia, Ancaei patria. p. 11.
Samothrace. p. 13. 20. 21.
Scias. p. 53.
Selim. p. 107.
Senatus Rom. p. 104.
Servorum seditio. p. 26.
*Σίδηρος*. p. 66.
Simaleon. p. 104.
Siphnii. p. 39.
Smilis. p. 51.
Sophocles. p. 68.
Sostratus. p. 15.
Statuaria. p. 56.
Stephane. p. 8. 9.
*Στεφανηφόροι*. p. 103.
Stesagoras. p. 68.
Stesander. p. 56.
Stragula. p. 16.
Sulla. p. 104. 105.
Syloson, Callitelis f. p. 27.
— Aeacis f. p. 32. Sami tyrannus. p. 45. eius chlamys. p. 44. *ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη*. p. 45.
Syloson servis civitatem dat. p. 46.

## T.

Tartessus. p. 15.
Tauri Mandrobuli. p. 61.

Tauropolium. p. 29. 63.
Telecles, Rhoeci f. p. 51. 52.
Telephanes. p. 56.
Telesarchus. p. 43.
Tembrio s. Timbrio. p. 13. 81.
Terra Samia. p. 16. 17.
Theatrum. p. 6.
Thema navale. p. 106.
Themison. p. 78.
Theodorus, Rhoeci f. p. 51. 52.
Theodorus, Teleclis f. p. 34. 53. eius crateres. p. 54. Polycratis annulus. p. 54.
Theodorus, Nicosthenis f. p. 55.
— Dionysii f. p. 104.
Theomestor. p. 48. Sami tyrannus. p. 49.
Theraei. p. 15.
Thorax. p. 74.
Tiberius. p. 62. 87. 105. 106.
Tigranes. p. 75.
Timanthes. p. 55.
Timothei statua. p. 61. 73. 76. 77.
*Τονέα.* p. 60.
*οἱ Τριακόσιοι.* p. 85.
Triton. p. 104.
Troezenii. p. 40.
Trogylium. p. 2.
Tryphaena. p. 103.
Tzachas. p. 106.

## U.

Uliadas. p. 66.
Uva Samia. p. 6. 7. 108.

## V.

Vahti. p. 107.
Vallum Sami. p. 4.
Vasa Samia. p. 17. 107.
Veneris *ἐν Καλάμοις* templum. p. 5. 65.
Veneti. p. 106.
Venus Dexicreontis. p. 15. 65.
Verres. p. 105.
Vespasianus. p. 106.
Vinum Samium. p. 7. 16. 108.

## Y.

Ὑπέρβιος Ancaeus. p. 11.

## Z.

Zacynthii. p. 40.
Zancle. p. 25. 26.
*Ζεὺς Φράτριος.* p. 82.

Berolini, typis G. Haynii.

Der Name Smerdes am Hof d. Polykrates
Duncker, Gesch. d. Alt. II 3 794. Curtius, u. der Gegenwart (S. 141.

Münzen von Samos, Curtius gr. Gesch. III 467, 427. 792.
(Münzvertrag mit Knidos, Samos, Ephesos,
Siegelring d. Polykrates mit Leyer. E. Curtius, Morgenlandschaft S. 94.

Le Bas Heft 7 80-82 Messenie 317ᵃ = Keil
analect. epigr. p. 98. Grenzbestimmungen zw.
Phigaleia u. Messene.

Münzgruben von Samos s. Mathieu d. Call., Philoz. I 236.
in Athen Ant. Zeit. N. F. VI 113.
Verwendung v. Stieren u. Stierkämpfen (Kolossirme u. 4 Wagen)
bei d. Münzen v. Athen: Naupaktos Berl. Monatsb. 1879 S. 609 ff.

~~Ross, inscr. gr. ined. 128 ὁ δῆμος ὁ Σαμίων .. στέφανο~~
~~Ἀφροδίτης Ἀρκεσίνη (aus Amorgos)~~

[illegible], de Duride Samio [illegible] Bonn 1874.

G. Busolt, d. 2te athen. Bund. 1875 F
p. 805 [illegible] v. Samos.

Mandrokles, Architekt v. Samos Arch. Zt. VII 99.

Duris, nach Athen. VIII p. 337 d Tyrann, Nachkomme d. Alcibiades (Plut. Alc. 32) z. Zeit d. Ptolem. Philad. Sein Geschichtswerk Ἑλληνικά oder Μακεδονικά beginnt mit Ol. 102,3; ferner Σαμίων ὧροι Athen. XV p. 696 e Diog. Laert. I 119. Schol. Eur. Hec. 933. Benutzt Plut. Per. 28. Lys. 17. Alcib. 32. Ages. 3. [illegible] Glaubwürdigkeit [illegible] durch Cic. ad Att. VI,1. u. Plut. Demosth. 19. Alcib. 32, Eumen. 1. cf. Clinton.
[illegible] Λυγκεύς [illegible] Zeitgenosse des Menander.
[illegible] v. Samos [illegible] ~~[illegible]~~ [illegible]. [illegible] 190

Octavian 30 in Samos [illegible]
dergl. 20 " "

[illegible]

[illegible] II. 384–94

Die Insel Samos einst und jetzt in d. Zeitschrift Hellenismos Heft 1.
Leipzig (G. Kreysing)
d. Tunnel d. Eupalinos 1882 wieder entdeckt s. Pauly, Realencykl.
s. v. Eupalinos

Epigramm auf Samier Anth. Pal. VII 450, 459
C. I. Gr. 5866b Διονυσίδης Σάμιος ἐποίησε

Arch. Zeit. 1878 p. 82 – Kaibel Rh. Mus. 34, 203
Statue eines Olympioniken Πυθαγόρας Σάμιος ἐποίησεν, derselbe, der [illegible] Kyrenaier [illegible] Paus. VI 6, 2

Ueber d. Inschriften auf den Streit zwischen Samos u. Priene: Hermes 29, S. 530 ff (Fränkel).

Ausgrabung d. griech. archäol. Gesellschaft im Heraion 1903 Lit. Zentralbl. 1904 № 2.
Heraion älter als d. Artemision in Ephesos, zweiflüglig 24 × 8 Säulen. Ähnlichkeit mit d. Anlage d. Artem., im Unterbau u. d. ungleichen Abstand der Säulen. Die Kapitelle mehr im dorischen Stil, die Basis jonisch. Die eingewanderten Dorier auf d. Peloponnes brachten d. dorischen Formen auf, die schon in d. mykenischen Zeit bekannt waren

Wiegand u. Schrader, Priene. (Königl. Museen) Berlin 1904
Priene mit [illegible] Beistand von Samos auf 360–57 neu gegründet.
Urkunden über d. Streit von Priene u. Samos.

Th. Wiegand, Ausgrabung d. Heratempels auf Samos, mit Bruchstücken eines älteren Tempels. Sitzungsber. d. Berliner Akad. 1911 XXXV. (soll veröffentlicht werden im Anhang z. d. Abhandlungen d. philos.-historischen Kl.